



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IX. Patientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS IX. PATIENTIA.

§. I.

Figuræ, Symbola, definitio.

Ex Veteri.

IBo, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Ex. 3. 3. Magna est visio, si vides hominem invidiae, calumniae, tribulationum, ignum circumdatum, & velut ardentem; non tamen comburi, non ullum vindictæ, aut impatientiæ, promere verbum. Stengelius t. 3. div. judic. c. 50.

Sacerdos habebit pellem ejus. Levit. 7. 8. Pellis est Symbolum patientiæ, ut patet Job. 2. 4. & Job. 19. 20. quæ Sacerdotis propria virtus, & vestis est. Ita Ilychius apud Cornelium hic.

Homo quidam erat in regione &c. Job. 1. 1. Ità legit Origenes. Erat tanquam rosa inter spinas, tanquam lilium inter tribulos; candidus, ac rubens: candidus fide, ac sanctitate; rubens velut rosa planè, quia sustinuit dolores, ac passiones. Origenes hic.

Quoniam ab ipso patientia mea. Pf. 61. 6. S. Bernardus l. 2. in Circumcis. D. necesse est ergo, ut illucescat dies patientiæ, per quem omnia dura, & aspera, tacitè amplectaris amplectaris patientiâ. apud Pinna in Eccl. Ethol. 258. Bene patientes erunt. Pf. 91. 15. S. Hieron. vertit. *frondentes.*

Psallite Domino in cithara. Pf. 97. 5. omnis patientia dulcis est Deo; si autem in ipsis tribulationibus defecerit, citharam fregisti. S. August. in Pf. 42.

Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Prov. 31. 21. Duplex est vestis, hyemalis, & æstivalis. Vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegemur contra pluviam, & grandinem tentationum, & persecutionum: ut est patientia, mansuetudo, humilitas, & hujusmodi. Æstivalem dico virtutes; quibus tempore pacis, & tranquillitatis, vacatur bonis operibus, vel contemplationi: ut est pietas, charitas, sapientia. Hugo Card. hic.

Edificavi mihi domos. Ecclæ 2. 4. Quilibet deberet edificare in seipso domos multas, velut in quadam civitate. Primam domum debet facere hyemalem, id est, domum patientiæ; in qua se tueatur à grandinè, & pluvia, tribulationum. Debet facere domum æstivalem, velut solarium: scilicet domum spei &c. Id. hic.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 2. Tunc amica Dei anima inter amicas est sicut lilium inter spinas: lilium enim, quamvis pungatur à spinis, candorem tamen retinet; fortiosem emittens odorem, quam si non pungatur. S. Albertus M. parad. an. c. 4.

Ex Novo.

Obtulerunt ei aurum. Matth. 2. 11. Aurum Deo offerimus, cum per patientiam probati in tribulationibus non deficiamus. B. Ivo Carnot. s. de Epiph. D.

Jesum queritis &c. Marci 16. 6. Bene queritis eum, quia Nazarenum, & crucifixum. Multi enim querunt tantum Jesum Nazarenum, id est, salutem floridam: volunt enim hic gaudere cum Mundo, & in futuro regnare cum Christo. Sed non invenitur Nazarenus sine crucifixò: *per multas tribulationes &c.* Act. 14. 21. Hugo Card. hic.

Et purgabit aream suam. Luc. 3. 17. Grana ad pedes ventilantis suo pondere cadunt; sed paleas longius rapit ventus. Si igitur in tribulatione ad Christi pedes cadis, ejus voluntati subiectis; granum es: palea; si te tribulatio à Christo removeret. Christus ventilatur in horto à tribulatione, dum orat; sed *procidit in faciem suam.* Matth. 26. 39. Stella hic.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12. 35. S. Cyrillus Alex. in Cat. S. Thomæ: succingi significat agilitatem, & promptitudinem, ad sustinenda mala, intuitu divini amoris. apud Sylveira hic.

Calcea te caligas tuas. Act. 12. 8. Calceati sunt patientes in dextro pede per amorem Dei, in sinistro per timorem Inferni. S. Vincent. Ferr. s. de S. Petro ad vincula.

Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. 3. Notat Hugo Card. Paulum hic innuere, patientiam esse velut terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id est, colit, arat, exercet; ut fructum ferat meritum: eò sensu, quò Gen. 2. 15. Adam dicitur positus in paradiso, *ut operaretur illum.* Cornelius hic.

Ut probatio vestra fidei &c. 1. Petri 1. 7. Bene patientia Sanctorum auro assimilatur: quia sicut in metallis pretiosius aliquid auro non est; ità hæc apud Deum omni laude est dignissima. V. Beda hic.

Ex Patribus, & aliis.

Anima petra, terra bona, & fertilis, per multam patientiam. Origenes hom. 4. in Ezech.

Patientia est honestatis, aut utilitatis, causa; rerum arduarum, ac difficultium voluntaria, ac diuturna perpessio. S. August. l. 83. qq. q. 30.

Mirabilis res est patientia: quæ tanquam in tranquillo portu animum consistit; eumque & ab adversis ventis, & fluctibus tempestatum, liberum reddit. S. Chrysost. hom. 83. in Joan. c. 18.

Patiens.

Patientia molestiarum est decoctio. Sicut ergo bonus stomachus concoquit cibos, quantumvis crudos; sic valida patientia qualvis aduersitates. E contra sicut imbecillis stomachus carnem salfam concoquere non potest; sic infirma, & debilis patientia acria verba. S. Greg. Naz. l. in carn. de virt. & vit. apud Cornelium in Prov. 3.

Philo l. de Cherub. aduertit: tonderi homines, tonderi & pecudes; sed hoc discrimine: quod homines, nunc caput elevando, nunc reprimendo, nunc in alterutram partem, tonfori se accommodant: pecudes verò invitæ, & renitentes: unde per vim ligantur; ut condentem sustineant. Sic pij homines &c. Pinna in Eccl. 52.

Bonus cibus patientia pauperum, quæ non peribit in finem: panes lacrymarum, panes doloris. S. Bernardus f. 2. de diversis.

Patiens ante monumentum mortuus est: sepulchrum enim cellulam suam fecit. Joan. Clim. gr. 27.

Si janua in cardine rectè sita est, & posita, licet millies aperiatur, & claudatur, nunquam à suo cardine exit. Iusti janua sunt cœli; quos licet veritas, moveas, ac removeas; per infamiam, & bonam famam; cum bene fundati sint in cardine, qui Christus est; nunquam ad impatientiam, vel ad aliquod malum agendum, commoventur. Diez Patientia.

Patientia est sicut pretiosissima gemma carbunculus: qui de die splendorem suum abscondit, noctu verò mirè lucet. Patientia non apparet die prosperitatis, sed nocte tribulationis. Militis generosa virtus non in pace, sed bello, conspicitur. Id. fer. 3. D. 4. Quadr.

Salamandra si casu in igne mergitur, omnis ignea vis tanquam aqua reprimitur, & extinguitur. Patientia reprimi flammivorum hominem à fervore vindictæ. B. Petr. Dam. l. 2. ep. 18.

Pacienter sustinere gravia, & non perturbari ex eis, docet nos terra: quæ, secundum Isidorum, ideo vocatur *solum*, quia est elementum solidum, cujuslibet ponderosi corporis sustinens totam molem: propter quod quævis gravia sursum mota, quousque stabilem tangant terram, manent prorsus iniqua. Sic fortis, & patiens solidum habet animum ad quælibet onerosa, & gravia, æquanimitè ferenda; nec perturbatur, vel inquietatur. Geminiani. c. 57.

Sol inter nubila. Lem: *Premitur, non opprimitur.* Picinelli.

§. II.

Patientia dignitas, honor eminentia.

Num. 1.

Per patientiam præ miraculis notus Dei Filius.

Ex Novo.

Magister, volumus à te signum videre. Matth. 12. 38. *Non dabitur nisi signum Jonæ ibi.* Cur non potius in excellentiæ suæ manifestationem, dat ejus potentiæ signa; *mi-Polyantha Sacra. Tom. II.*

racula scilicet, vel futurorum prædictionem, utpote magnam divinitatis notam? sed multò efficacior vis sanguinis, ac Passionis Christi ut humana corda emolliantur ad agnoscendam fortitudinem divinitatis. Sylveira hic q. 7. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisei Dominum agnoscere debuitis: patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Tertull. l. de patientia.

Hic est Filius meus dilectus. Matth. 17. 5. Cur Pater specialiter hic Filium suum declarat? cur non in præsepio, vel circumcissione, vel fuga in Ægyptum, vel in passione & cruce? quia ipsa patiendi celsitudo vox erat testis ejus divinitatis. Id. hic q. 25.

Multa enim passa sum hodie. Matth. 27. 19. Cur diabolus, qui paulo antè misit in cor Judæ, ut traderet Jesum, nunc mittit in cor mulieris; ut redimat eum? Dicendum, quod demon frequenter vacillavit in notitia Christi: nunc æstimans, eum esse Christum, propter divinitatis insignia; nunc arbitrans oppositum, propter humanitatis infirma. Cum ergo Judam incitavit ad prodicionem Christi; putavit, quod non esset Christus: verum in ipsa nocte, & deinceps, incredibilem magnitudinem, patientiam, atque constantiam Christi conspiciens; cepit valde conjicere, quod ipse esset verus Messias. Dion. Carthus. hic.

Nihil tibi, & justo illi. ib. Ad quod creditur diabolus illam instigasse: jam quasi pro certo conjiciens, quod Jesus esset Messias: quia videbat ineffabilem mansuetudinem, patientiam, atque constantiam Christi in omni sui injuriatione, ac passione. Id. in Luc. 22. cap. 22.

Alios salvos fecit descendat de cruce &c. Matth. 27. 42. O superbi Judæi! non attendentes, quoniam majoris virtutis est, patienter in tormentis usque in finem perseverare, quàm de cruce descendere, & ab infirmitate carnis miserabiliter superari. Si enim nullus salvabitur, nisi qui perseveraverit usque in finem, quomodo Christus Jesus nomine, & re, salus re diceretur, si in cruce patienter usque in finem non perseverasset? S. Bonaventura l. 1. D. infra ocl. Nat. D.

Verè Filius Dei erat iste. Matth. 27. 54. Querit S. Paschasius: qui post cætera cœlorum signa, & terræ, movere potuerit Centurionem; ut Dei Filium crederet eum, quem in cruce mortuum videbat? Respondet: quod Centurio, postquam Christo audierat dictum, *descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Matth. 27. 42. & perseveranter signo, cui semel fixus fuit, hæsisse viderat; talia apud se cogitavit: qui tam lubens in tormentis agit, mortem tam lætus excipit; is Dei Filius est. Verba Paschasij: in vultu ejus tanta erat alacritas, tantaque claritas, ut possent omnes intelligere; quia suâ sponte moriebatur. Did. Nis. D. 1. Quadr. §. 4.

Tu es Christus. Marci 8. 29. post hanc confessionem Christus capit eos docere, quoniam oportet Filium hominis pati multa. Victor Antioch. postquam divinitatis suæ sensum illis impressit, doctrinam de cruce, & passione

si one mox subjunxit. Ut scilicet facilius ejus divinitas crederetur: nec absque cruce volebat Deus predicari. Castillo Illar, 243.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. 27. Magnum hic Dominus miraculum edidit in demoniaco sanando v. 14. & tunc mulier tacet. At cum Pharisei blasphemant: *in Besebub &c.* v. 15. & Dominus mansuetè respondet: *omne regnum &c.* tunc mulier exclamat: *beatus venter!* Cur modò, & non antea? antea viderat miracula, modò patientiam. Et inter injurias patientia major divinitatis Christi index, quam potestas. Sylveira hic. q. 11.

Memento mei &c. Luc. 23. 42. Hæc est fidei plena devotio: ut cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur; tunc de potestate ejus venia postuletur; cum videtur ejus humilitas; tunc magis timeatur ejus divinitas: cum morti addictus putatur; tunc regis illi honorificentia deferatur. S. Maximus hom. 1. de S. latrone.

Cognoverunt eum. Luc. 24. 31. *in fractione panis.* Drogo Ost. f. 1. de País. panis caro tua est: fragilli manibus corpus tuum: quia potestatem habebas ponendi animam tuam: fragilli corpus tuum, quod foris apparebat; & ostendisti medullam, quæ intus latebat: nisi enim patiaris, non cognosceris. Sylveira in Luc. 11. Matth. 12. cap. 24.

Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. Joan. 1. 49. Unde Nathanaeli tanta cognitio? Insuperat Christum secreta scire, & penetrare; noscereque, quæ dixerat contra eum, & suam patriam, *à Nazareth potest aliquid boni esse?* v. 46. quibus dictis Dominus se minimè ostendit iratum; sed eum benignè excipit, laudat. Videns Nathanael tam patientem; eum non plebejum, sed regem; non purum hominem, sed Dei Filium credit, & fatetur. Sylveira hic q. 15.

Ut clarificetur Filius Dei. Joan. 11. 4. S. Cyrill. Jerof. Catech. 11. non quòd prius non habeat gloriam (glorificatus enim erat ante Mundi constitutionem sed glorificabatur tanquam Deus semper) nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam. apud Baeza t. 1. l. 4. c. 3. §. 38.

Ex Patribus.

Quanquam omnis Christi actio, ac miraculorum editio præclara, & divina, ac mirabilis est; nihil tamen est ex omnibus, quod tantam admirationem excitet, atque eximia ipsius Crux. S. Joan. Damasc. l. 4. Orthod. fid. c. 12.

Crux omnium miraculorum nobis factorum coronis. Quid hoc admirabilius? cernere Deum in cruce pendentem; & quidem inter latrones. Andreas Cret. or. in exalt. S. Cruc.

Num. 2.

Patientia etiam hominum pro miculis.

Tu servasti bonum vinum usque adhuc. Joan. 2. 10. Vinum ex aqua, est læticia ex per-

peffione malorum. S. Bernardus f. 16. ex varijs: sic & Apostoli planè vinum aquâ factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes à conspectu concilij, quando digni habitij sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quomodo non vinum ex aqua? gaudium ex contumelia? *tristitia vestra vertetur in gaudium.* Pinna Ethol. 258.

Video-Filium hominis stantem &c. Act. 7. 55. Stantem Christum videt, licet jam ad dexteram Patris sederet. Sicut cum publicis spectaculis ades, proximusque fenestræ sedes, unde omnia, quæ in foro aguntur, facile videas; si fortè aliquod accidat mirabile spectaculum; furgis; & stans illud intueris, licet posses sedens intueri: sed rei novitas te compellit stare, ut attentius consideres. Ità &c. Oforius in die S. Steph.

Spectaculum facti sumus &c. 1. Cor. 4. 9. & velut rationem subdens ait: *usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus.* v. 11. 12. 13. Cur potius hic, quam alibi, se dicit spectaculum factum? Palati⁹ ad c. 5. Matth. spectant Angeli, stupet Mundus, attoniti redduntur homines, cum vident Christianum redentem, non malum pro malo, sed bonum pro malo. Ità Apostolus: *spectaculum facti sumus.* &c. Meritissimè hæc Paulus: quia super omnem naturam est, quòd maledicti, afflicti, & blasphemij proficisci, obsecremus. Sylveira in Matth. 5. q. 8.

Signa Apostolatús mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs. 2. Cor. 12. 12. Theodoretus: rectè signis tolerantiam præposuit. Quia omni patientiâ ornari, ut & inimicorum probra tolerantur, miraculum augustissimum est, communi miracula superans. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 7. obf. 1.

Hæc virtus omnibus populis, & provincijs, & ipsis tortoribus, miraculum maximum præbuit, cum patientiâ crudelitas vinceretur. Lactantius l. 6. div. instit. qui est de vero cultu.

Sinè ferrò, & flammâ, Martyres esse possumus; si patientiam veraciter in mente servamus: nam signis, & miraculis; majorem esse patientiam, non dubitemus. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 2.

Num. 3.

Continuatio de Patientiæ laude, dignitate &c.

Ex Veteri, & Novo.

Nunquid timens arguet te, & non propter malitiam tuam plurimam? Job. 22. 4. 5. Sedenti in sterquilinio, & de incurfibus omnibus triumphantij, familiares talia ei dicebant. S. Antiochus hom. 51. hæc quidem commentij adornatò mendaciò justo isti contumeliosius exprobrant: non quòd illum odissent, sed ut asperitate verborum humiliarent. Did. Niss. fer. 6. D. 4. Quadr. §. 3. Byf

Byssus, & purpura, indumentum ejus. Prov. 31. 22. Byssus est candor, conscientia, & innocentia vitæ; purpura patientiæ, & pœnitentiæ, sunt indumentum Ecclesiæ: quia & hæc eadem fuerunt indumenta sponsi sui. Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Hugo Card. hic.

Fecit ascensum purpureum. Cant. 3. 10. Meritò patientia comparatur purpuræ, quæ reges induuntur: quia patientia opus perfectum habet, animum præbet regium; sui que ipsius, & omnium dominum facit. de Ponte hic Exh. 29. §. 4.

Ut portaretur ab Angelis &c. Luc. 16. 22. Non suffecerat ad portandum pauperem unus Angelus; sed propterea plures veniunt, ut chorum lætitiæ faciant. Gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere. S. Chrysof. hom. de Lazaro. Ut nos sacras reverenter adimus reliquias; sic illi magna cum veneratione ulcerosum corpus attingebant. Significabant, quanti æstimarent corpus, quod pro gloria Dei multa tulerat. Addit Chrysof. sed in sinum Abrahamæ portatus est. ut illum tangeret. Did. Nis. f. 6. D. 4. Quadr. §. 2.

Ex Patribus, & aliis.

Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! Non immeritò: omnia enim placita ejus tuetur; omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænâ, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, Fidelem delectat, Gentilem invitat, foeminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in senè; in omni sexu, in omni ætate, formosa est &c. Tertul. l. de patientia. c. 15.

Præ virtutibus omnibus est opposita vitij, & affectibus. Lactantius l. 6. instit. div.

Sicut peccati causâ vinciri opprobrium est; ita è contrâ pro Christo custodia vincula sustinere, maxima gloria est. S. Ambros. in ep. ad Philem c. 1.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Pl. 68. 5. Quomodo fiet, ut oderit te Mundus gratis, si nihil cuiquam noceas, & sic odio habearis? hoc est enim gratis, sinè causâ. Non persecutionē pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proferri, non occidi, laus est; sed habendo causam bonam ista pati, hæc laus est. Laus enim est sin causâ bonitate, non in pœna acerbitate &c. S. August. in Pl. 68. 5.

Fundendo sanguinem, & patiendò magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia. S. Hieron. ep. 62. adv. Joan. Jerosol. ad Theophilum.

Nihil hac linguâ sanctius est, quæ in adversis Deo gratias agit. Certè non inferior est lingua Martyrum; utraque pariter coronatur: nam & adversus istam instat licitor, Deum per

Polyantha Sacra. Tom. II.

maledicentiam negare cogens; instat diabolus argutis cogitationum quæstionibus lacerans, & animi angustij obtenebrans. S. Chrysof. hom. 8. in ep. ad Colos. c. 3.

Nihil melius, quàm malè propter Christum affici. S. Chrysof. in ep. ad Ephes.

Gratia verè maxima, dignum censerì, propter Christum aliquid pati: & corona verè perfecta; & merces futurâ retributione non minor. S. Chrysof. hom. super orat. Annæ.

Magna dignitas, & multa, regnò, consultatu, universisque, major; pro Christo ligari. Nihil enim tam clarum est, quàm pro Christo vincitum esse &c. Idem. hom. 5. de patientia in illud Eph. 4. obsecro vos ego vincitum in Domino; ubi fufius de vinculis S. Pauli discurret.

Nosti, nihil esse, quod patientiam adæquare possit; verùm ipsam potissimùm virtutum reginam esse, rerum præclare gestarum fundamentum, portum tranquillum, in bello pacem, in tempestate tranquillitatem, in insidijs securitatem; quæ eum, qui ipsam sit consecutus, adamantè firmiorem reddit: hancque naturam habet, ut eam nec arma mota, nec instructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emissæ, nec ipsum damnum agmen, detrimentò ullò afficere possit. Id. ep. 7. Olympiadi Diaconissa.

Patiens cunctis virtutibus exornatur. S. Ephrem de patientia.

Num. 4.

Patientia facit Martyrem.

Hoc non minus fuerit Martyriò, nihil deprecari pati propter multorum salutem. S. Chrysof. hom. 20. in Acta.

Sinè ferrò, aut flammis, Martyres esse possumus; si patientiam in animo veraciter conservamus. Idiota l. 2. Contempl. c. 1.

Num. 5.

Patientia grata Deo, Christo.

Cum vidisset Jesus jacentem. Joan. 5. 6. Primus, in quem Dominus oculos misericordiæ conjecit, fuit hic tot annis infirmus. O beata patientia! tu enim es causâ, ut in locum, ubi tu es, oculi dirigantur. O quantum valet patientia erga Deum! Diez fer. 6. D. 1. Quadr.

Plus aliquando valet pia flagellatorum Dei sub ejus manu tolerantia, sinè murmure, sine reprehensione divinatorum judiciorum; sinè rancore, vel odio, contra superiores suos, vel alios affligentes se justè, vel injustè: quàm si manens iracundus, & impatiens, nedù flagellaret seipsum ad sanguinem; sed laceraret, & discerperet membratim ad mortem. Gerson. tr. contra sectam flagellantium.

Gratior illi est humilis internarum derelictionum tolerantia, quàm ingens devotionis dulcedo. Blof. par. an. c. 9.

Q 9 2

§. III.

§. III.

Patientia Passio Christi, moti-vum.

Ex Veteri.

Spinæ, & tribulus, germinabit tibi.
Gen. 3. 18. Ne tamen ladan graviter, suo Christus D. capite spinas gestat. Tertull. de corona c. 14. abstulit virtus crucis omnes aculeos mortis, in Domini capitis tolerantia obtundens. Velloso in Judith 5. Paræn. 30.

Putabam nos ligare manipulos in agro.
Gen. 37. 7. Manipulus Joseph est collectio contumeliarum, & passionum Christi; quæ Amos 9. 6. fasciculus vocatur: quia edificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundavit. Nam Christus per fasciculum passionum fecit sibi gradus ad cælum. Geminiani l. 7. c. 22.

Sephora circumcidit præputium filij sui.
Ex. 4. 25. Cur ad introducendam tam duram legem primus Moysis filius eam subire debuit? Tertull. lib. adv. Judæos c. 2. idcirco filium Moysis futuri Ducis instigat Angelus circumcidi: ut, cum cepisset per eum populo dare præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in filio jam Ducis celebratum. Caro, & sanguis, omnem refugit passionem: verum ut facile reddatur pati, nec excusare se quisquam possit; Filium suum Unigenitum Pater æternus in cruce suspendit: ut, dum creatura suum Creatorem, & reus infontem, tam indigna tolerare cernit, non recuset cum eo, & pro eo, pati. Did. Nils. fer. 6. D. 5. Quadr. §. 5.

Fecit Moyses serpentem æneum &c. Num. 21. 9. Serpens hic figura Crucifixi. Cruciantur homines varijs morbis; hic inopiâ, ille opprobrijs, injurijs &c. Ut omnes dolore sopitò sonentur, majus oculis Deus Filij crucifixi objecit tormentum; ut ejus paupertatem, dolores, injurias, videns, quisque sua ferat. Naxera in Jos. 10. §. 18.

Omnèsque flebant voce magna. 2. Reg. 15. 23. Fugiebat David Absolonem, fugientem comitati flebant voce magnâ. Quid has illis expressit lacrymas? Respondet Abulens. totus populus flebat, sicut videbat flere David. q. d. putabant, se subditorum munus non rectè exequi, nisi lacrymanti regi collachrymarentur. Did. Nils. fer. 6. D. 5. Quadr. §. 5.

Pellem pro pelle. Job. 2. 4. id est, patientiam, & imitationem mansuetudinis Agni incontaminati Jesu Christi, rependere debemus. Ejus enim Sacerdotis, qui offert victimam, est hostiæ pellis jure perperuò. Levit. 7. 8. Petrus Cell. l. de panib. c. 1.

Juda rex meus: Moab olla spei mea. Pf. 59. 9. 10. Quare olla? quia tribulatio. Quare spei mea? quia præcessit te, debes sequi. Quid times? quâ præcessit? per tribulationes, per angustias, per opprobria septa erat

via; sed antequam transiret: postquam transivit, sequere; jam patet via illius. *Singularis ego sum*, inquit; sed quousque transiam. Pf. 140. 10. Singulare granum; sed quoad usque transeat: cum transierit, sequetur fructificatio. S. August. hic. Dominus voluntate passus est, nos necessitate; ille miseratione; nos conditione. Proinde illius voluntaria Passio, nostra est necessaria consolatio: ut, quando talia fortè perpetimur, intueamur caput nostrum; ut ejus exemplò commoniti dicamus nobis: si ille, quid nos? & quemadmodum ille, ita & nos. Idem conc. 2. de 2. parte Pf. 34.

Quid retribuam Domino? Pf. 115. 12. *Calicem &c.* Calicem tribulationis, & penitentia; quem Salvator meus pro me bibit. Hugo Card. hic.

Post te curremus. Cant. 1. 3. Quò cures? quocumque: sed postillum: si enim illum videro, nihil arduum mihi videbitur. Jer. 17. 16. *Ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Etsi sequi Christum facile non sit; cum ad alapas, flagella, spinas, crucem, ab eo trahimur: tamen post eum ad talia pervenire, durum non est. Oliva t. 2. Strom. §. Stantes ante thronum. Apoc. 7. 9.

Egredimini - & videte regem. Cant. 3. 11. Richardus à S. Viêt. hic c. 13. ô filia Sion, cum adversa patimini, egredimini ab imperfectione vestra, & impatientia; ut leviter feratis illata vobis mala. Videte Regem vestrum pro vobis passum, & per passionem gloriâ, & honore, coronatum. Latitiam Regis vestri considerate; hoc exemplum vobis proponite. Cornelius hic.

Velabant faciem ejus. Il. 6. 2. S. Hieronymus illud de Cherubinis faciem velantibus ante Deum, quod Joan. 12. de Christo intelligit. Vel ergo, ait Hieron. velabant Dei faciem, vel suam; quia utrumque litera sonare potest. Si Dei facies velata intelligitur, significat, quia absconditus est vultus ejus in Passione: si Seraphinorum facies velata accipitur, significat justorum confusionem, ac verecundiam; qui vident se nihil agere, cum Christus pro eis mortuus sit. Orosius D. Quinquages.

Ex Novo.

Nè ergo timeritis eos. Matth. 10. 26. Propter injurias, & contumelias, quas possunt vobis infligere; sed potius exultate in omni adversitate, quam ab eis patimini: considerantes, quid passus sum ego; & gloriantes in hoc, quòd Domino vestro, ac Magistro, conformari meruistis: cum hoc sit beneficium ingens. Quid enim tam gloriosum est servo, quàm ut domino suo assimiletur? Sæpe contingit; ut aliquis injuriarum passus doleat, & ulcisci se cupiat: cum verò conspexerit alium multò sublimiorem eadem, vel graviora perperum; & tamen servare patientiam; incipit consolari, & ab ira cessare, dicens in se: si ille tantus labia patitur, quantò ma-

magis ego? Ita & nos, si Christi Passionem, patientiamque, pensemus; patientiam discimus, & cum Apostolo in tribulationibus jucundamur. Dion. Carth. hic.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. 22. Signanter addit *quem ego bibo*: se enim in ducem additō voluit Christus Discipulos urgere ad patientiam. S. Chrysof. hom. 66. in Matth. perspice, qualiter ipso interrogationis modo, & hortatur, & allicit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 30. *Quem ego* Sc. ut communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur. S. Chrysof. ib.

Audacter introivit ad Pilatum. Marci 15. 43. Christo D. crucifixō; *ante discipulū Jesu occultus propter metum Judæorum.* Joan. 19. 38. Lyranus: exemplō Christi animatus, ostendit se publicē discipulum esse. S. Gregor. Naz. or. 25. dulce, & decorum est, quidquid injuriarum infert Arrianus; si conferatur cum ijs, quæ passus Christus D.

Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. 20. Multa sunt, ex quibus gravitatem dolorum hujus mendicabili æstimare possumus. Vel unum illud ejus ulcera vehementer exasperavit, quod non poterat alterum videre Lazarum, inquit S. Chrysof. hom. 1. de Lazaro. Nam malorum nostrorum reperire confortes, sive in factis, sive in dictis, multum adfert solatij lugentibus. Ille verò nullum alium habebat, ad quem respiceret eadem passum; imò nē audire quidem poterat, qui majore ipsius ætate tam acerba sustinisset. Quantum igitur adferre solatij, & levaminis, debet omnibus afflictis ob oculos positum exemplum Christi patientis! Did. Nis. D. infra octav. Ascens. §. 2.

Ex Patribus, & alijs.

Quid homo pro se pati debet, si tanta Deus pro hominibus pertulit? S. Gregor. hom. 2. in Evang.

Christi passiones imitandæ; non à Christianis delicia conquierendæ. Venit ille pati, venit ille mori, venit lignō crucifigi. Omnia hæc ille propter te: tu nihil pro illo? Quia Christianus es, aliquid plus passurus es in hoc sæculo. S. August. 1. de pastorib. apud Ferdinandum in Gen. 4. sect. 22.

Si Passio Redemptoris ad mentem reducitur, nihil tam durum, quod non æquò animo tolleretur. S. Isidorus lib. de consil. vit. & virt.

Fel gustata propter gustum; acetō utere, sputa flagita; alapas, & colaphos, accipe; spineā coronā, hoc est, pia vitæ asperitate cingere; coccinum indue, arundinem accipe, simul in crucem suffigere, simul morere. S. Greg. Naz. or. 38. in Chr. Nat.

Omnibus horis, atque agitationibus, nosmet ipsos Deo immolemus; omnia pro Christi nomine excipiamus; passionibus Passionem imitemur, sanguine sanguinem ornemus, crucem alacres conscendamus. Dulces sunt clavi, tamen gravem doloris sensum afferant. Præstat cum Christo, & pro Christo pati; quam

delicijs, voluptatibusque, cum alijs indulgere. Id. or. 42. in Pasch. 2.

Cum Deus esset, ab hominibus hæc patientem sustinebat; ut homines ab hominibus postea ista patientes, pro ipso ejusmodi perferre nos non puderet. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Vult benignus Dux devoti militis vultum, & oculos, in sua sustolli vulnera: ut illius ex hoc animum erigat, & exemplō sui reddat ad tolerandum fortiorem. S. Bernardus f. 61. in Cant.

Non decet membrum delicatum esse sub capite Crucifixo: nec ad capitis corpus se judicat pertinere membrum, quod capiti compassum non fuit. Id. tr. de Pasch. D. c. 4.

§. IV.

Exempla Sanctorum.

Num. 1.

Job.

SI filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij. Securus sic de Domino, distulit; sustinuit tam voluntariam orbitatem, nē sine aliqua patientiā viveret. Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus, Tertull. 1. de patientiā, de Job loquens. c. 14.

Acceptit testam, ut raderet saniem. Dic o beate Job! ob quam rem hoc facis? merito, inquit, exaggero, atque commoveo, ipsos dolores: ut per cuncta ostendam nequissimo diabolo; quia ejus malitiam irrideo, quia iniquitatem ejus contemno, quia omnes ejus plagas, atque vulnera, ad nihilum reputo. Ob hoc rati Job sua vulnera testā; ut nobis patientiæ, atque tolerantia; normam daret. Origenes 1. 2. in Job.

Quemadmodum, si teneat in manu sua quis adamantem, & alius dicat ad eum, da mihi hunc adamantem in potestatem; & ego illum comminuam in ignem, conteramque ictibus: ille verò, qui eum in manu habet, confidens verè, quia adamas est, dicat: tolle, proba; experire; quia nequaquam huic adamanti prævalebis: sic ergo & omnium cognitor, atque præcius Deus, velut inviolabilem habens adamantem Job, quærenti diabolo, dedit ei in potestatem; confidens verè, quia verus adamantus est Job. Orig. 1. 2. in Job apud Arcones in II. 3. Disc. 2.

Unum Job miraturus ascenderam; omnes Job, quos mirarer, inveni. In singulis vobis Job revixit, in singulis sancti illius patientiæ, & virtus, refulit. S. Ambros. ep. 33. ad Marcellinam sororem, referens sermonem habitum ad populum de Basilicis tradendis.

B. Job ille pugil pietatis, athleta orbis; sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit. S. Chrysof. hom. 23. in Gen.

Quotquot habuit Mundi tyrannus jacula, movit, per ignem, per enses, per ruinam, per captivitatem, per sanguinem: hæc omnia tendit,

tendit, & virilem magis bellatorem effecit. S. Chrysol. hom. 1. de patientia Job.

Num. 2.

Exempla aliorum.

Joseph patiens invenitur, cum è pascuo à fratribus rapitur; patiens cum in puteum demittitur; patiens in carcere, in regno patientior; patientissimus, desideratos cum fratres agnosceret. S. Zeno Ven. f. de patientia.

Vincula, & tribulationes, Jerosolymis me manent. Act. 20. 23. Peculiariter facit mentionem de his, quæ passurus erat Jerosolymis, quàm Romæ; & alijs locis: quia ibi Christus passus est; ibi Stephanus; ibi prima persecutio: & cum ijs pati valde gloriosum, & magnum solamen erat, Sylveira hic.

Rogo vos, ut non frustra sit in me dilectio vestra. Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum pomereri: triticum enim Dei sum; dentibus bestiarum molar, ut possim panis Dei mundus inveniri. S. Ignat. M. ep. 12. ad Rom.

Possedit patientiam durissimi adamantis instar. S. Ephrem in vitam B. Abramij Syri Eremita.

Patienter ab uno ferendum est, quod multis accidit tolerabile. S. Isid. l. 1. soliloqu.

§. V.

Patientia beata, pacifica, quieta.

SI jure beatus creditur, qui ubique invenit, quod amat; justè vigor patientiæ aser, hoc est, beatus nominatur, cui undique obviat, quod desiderat. Rich. à S. Vict. l. qui dicitur Benjamin minor c. 26.

Habet in se remunerationem suam, qui sequitur Jesum, & in suo affectu præmium, etiam si dura sustineat. Beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis. S. Ambros. l. 1. de Jacob c. 7.

Hoc justum est, ut qui de pristina felicitate paradisi, propter contumacem deliciarum appetentiam, dimissi sumus, per humilem molestiarum patientiam recipiamur. S. August. l. de patient. c. 14.

Quemadmodum in abyssum maris scintilla delata huic quidem nihil obest, ipsa extinguitur: sic in animum tolerantem quidquid incidere, maximarum etiam rerum, potest, facile quidem absumitur ipsum; ille conturbabitur profusus nihil. S. Chrysol. hom. 33. in 1. Cor. 13.

Gratia verè maxima, dignum cenferi; propter Christum aliquid pati! & corona verè perfecta, & merces futura retributione non minor. S. Chrysol. hom. de orat. Annæ.

Ad pacem per patientiam pervenitur: tantoque magis pace fruetur homo, quanto erit patientior. Finis patientiæ pax est. S. Laur. Just. de virt. pat. c. 1.

Beatus, qui non pervenit ad gratiam per labores; sed ad labores ipsius gratiæ dignatione descendit. S. Chrysol. l. 88.

Etsi beata diversis vita virtutibus quæritur, cujus cupidine flagrans humanitas per momenta suspirat; tamen omnes unò, eodemque consensu quasi quendam patientiæ deferuntur in portum. S. Zeno Ver. f. de patientia.

Felix, æternumque felix esto, qui semper te habuerit in se. Id. ib.

Feliciter sunt miseri, quos constat, non meruisse, quæ perferunt. Hildebertus ep. 39.

Nequaquam dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus esse matrem virtutum. Itaque, quidquid illud fuerit, quicumque religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quælibet dura nulli beatiores sunt, quoddam volunt. Salvian. l. 1. de gubernat. Dei.

Ponat unusquisque se ad patientiam, si vult habere cordis tranquillitatem. Thom. Kemp. p. 2. serm. ad Novit. f. 1.

§. VI.

Patientia lata.

Num. 1.

Figure, & Symbola

Accipit eam uxorem. Gen. 24. 67. Honorabile conjugium inter Isaac, & Rebeccam. Isaac Hebr. risus est. *Rebecca, patientia.* S. Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5. risus à tolerantia adjuvatur. Ut risum à viro mulier eliciat, patienter agat: risum patientia impetrabit. Velloso in Judith 7. Paræn. 25. Rabbanus, Isaac, & Rebecca, conjunguntur; id est, risus, & patientia, permiscetur. apud Sylveira in Joan. 16. c. 18.

Lotus est Deus ad Jacob: surge, & ascende Bethel. Gen. 35. 1. S. Ambros. ad Irænaum de æmulat. Egypt. sequamur S. Jacob vias; ut perveniamus ad eas passiones, ad patientiam (alludit ad Matrem Jacob Rebeccam, quod ipse interpretatur, patientiam) matrem Fidelium; & ad patrem Isaac, id est, jucunditatis capacem, lætitiæ redundantem: ubi enim patientia, ibi lætitia. q. d. sicut conjugantur Rebecca, & Isaac, sic copulantur patientia, & lætitia. Cornelius hic.

Parvus fons &c. Esth. 10. 6. Hoc est ergo paradoxum Mardochei somnium: ex aquis sol, id est, ex tribulatione oritur gaudium, ex mœnore lætitia, & humiliatione gloria. Cornelius hic.

Ubi audierit buccinam, dicit vah! Job. 39. 25. Vah est interjectio animi gestientis. Guilielmus Paris. l. 1. de morib. tr. de spe. sicut gaudent equi, cum signum imminens conflictus audiunt; sic & Dei amici hujusmodi gaudiò gaudent; cum bellum tribulationis conflagrare cognoverint. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 1. obs. 1.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Sept. tempus sectionis. Alij ex Hebr. tempus cantillationis advenit. de Ponte hic Exh. 19. §. 1. Princeps agricola Deus palmitem fermentem fructum purgat varijs tribulationibus. Cum igitur tribularis; scito, quia tempus putationis advenit: quod potius tibi deberet esse tempus cantillationis, dum gloriaris in tribulationibus,

tionibus, ut amplius proficias in virtutibus. Id. ib. §. 4. Qui putat vitem; licet specietenus videntur malum moliri contra vinea; bono ipsorum in primis consulit: nam, si luxurari sinatur, sylvescit vitis. S. Clem. Alex. 1. 6. Strom. Apoc. 14. 19. *misti falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ.* Pinna in Eccl. Ethol. 139.

Ponam eam desertam; non putabitur, & non seditur; & ascendent vepres, & spinæ. If. §. 6. S. Basilus M. quemadmodum qui vineam putant, obstringunt ejus vites, & externè continent; ut majori cum temperamento procedat ad perferendos utiles fructus: ad eundem modum contingit animæ, assiduitate tribulationum incurvatæ: quodammodo in se contrahitur, seque humiliter demittit; atque ad sui diligentiorum custodiam retrahitur. E contrario anima, quæ indulgenter, ac remissè, vivere finitur, perinde, atque vinea quadam neglecta, luxuriat, & sylvescit. Ramirez in ep. 3. 16.

Nabuchodonosor *constituit annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse &c.* Dan. 1. 5. Vinum Christi myrrhatum. *Potesis bibere calicem, quem ego &c.* Matth. 20. 22. Jonghen p. 1. pro sacra vestitione. Exh. 3.

Esca autem ejus erat locusta, & mel sylvestre. Matth. 3. 4. Galfridus in Matth. 11. *gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. 3. Hæc consolatio per mel sylvestre meritò designatur: quia nihil magis sylvestre, & à civibus hujus sæculi extraneum; quam æstimare gaudium, quod ingeritur ad tormentum. Et forsitan hæc est pax, quam Mundus non potest accipere: quia non pacificè potest ingruentis tribulationis angustias sustinere. Sylveira addit Matth. 3.

Non enimerat tempus ficorum. Marci 11. 13. Orig. tr. 16. in Matth. eum presentia provocat eum ad tristitiam, vel ad pusillanimitatem; provocatus autem in illo non proficit, ut etiam in tempore tristiciarum gaudeat, & in tempore opprobrii, vel castigationis gloriatur; & in tempore periculi memor sit ejus; quod dictum est: *gaudete semper.* Philipp. 4. 4. Beatus est hujusmodi Christianus, fructum gaudij ferens, etiam non in tempore ficorum. Pinna in Eccl. 2. Eth. 29.

Syrenes ajunt faviente tempestate suavissimè canere; contra serenò cælo, & tranquillò mari, tristes obmutescere. Tales, qui in adversis læti, in prosperis suspectam habent malitiam. Authore incertò.

Insignia Caroli Regis Neapolitani: crux supra petram in summitate ejus rosa. Lem: *in patientia suavitas.* Masenius. Rosa illa aurea benedicatur; & balsamò, ac muscò ungitur; & patimur. (Dominicà Passionis) Et tamen sacrificij principium occupant illa verba: *Lætare Jerusalem! gaude in tribulationibus.* Nada. si Rosa 28.

Cithara. Lem: *Expulsu melos.* Cassiodorus in Pl. 32. citharizamus cum in passionibus nostris, vel damnis, securi, aut læti, dicimus: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Picinelli.

Chordæ musicæ. Lem: *Plus torta, plus musica.*

Num. 2.

Patientiæ læta exempla.

Ex Veteri, & Novo.

Caligaverunt &c. Gen. 27. 1. Nota longam patientiam Isaac: tulit enim cæcitatem per 44. annos, scilicet ab anno ætatis 137. usque ad annum 180. quò mortuus est. Cornelius hic.

In tribulatione dilatasti mihi. Pl. 4. 2. Tribulatio angustias facit, gaudium dilatat corda. Sed qui gloriatur in tribulatione; huic tristitia vertitur in gaudium; & tribulatio ei non angustias, sed dilatationem, affert. Belarminus hic.

Calicem salutaris accipiam. Pl. 115. 4. En veram gratiarum actionem. Si vis Deo referre gratias, calicem bibe Passionis ejus. Quid est verò calicem Passionis bibere? ita pati, ac si minimè patereris; ita dolores sufferre, ac si epulis interesses. Tam forti, & lætò animò arumnæ ferendæ, ac si non dolores, sed biberes: non enim crux, sed calix, vocatur à David. *Et nomen Domini invocabo.* Si vis passionem lætus pati; si cupis inter dolores, tanquam inter calices, exultare; invoca nomen Jesu. Quis enim Jesum meminisse potest pro se crucifixum, quin crucem, velut calicem suavissimum, amplexetur. Oliva t. 2. Strom. §. Calicem salut. &c.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delictis affluens &c. Cant. 8. 5. In deserto esse, ubi nulli flores ad solatium; ubi desunt delicia corporum; ubi nullus homo, quem alloquaris: non mœrere, non abjici; sed ascendere; cœli meminisse, cum nemo recordatur tui; Deo frui, cum nullò fueris; & quidem ascendere exultantem, bonæ spei, & lætitiæ, plenum; verbò affluentem delictis: magnum profectò est; præsertim, si omni carens solatio, & adjutore, uni sponso innitaris. Quid æquè mirandum, ac deliciarum affluentia in eremo, hoc est, inter dolores lætitiæ. In cella vinaria, in dōmo cedrina, in argenteo ferculo; cum à Deo fulciris opibus, & honoribus; Deo fidere, non mirum. Oliva t. 2. Strom. §. facta est multitudo militiæ cœli. Luc. 2.

Tribulationem patimur; sed non angustiamur. 2. Cor. 4. 8. Imò verò non solum nullam angustiam tribulatio illa Sanctorum, sed latitudinem, habet. Denique sic dicit justus: *in tribulatione dilatasti mihi.* Pl. 4. 2. De his Deus: *inhabitabo in illis, & inambulabo.* 2. Cor. 6. 16. Origenes l. 2. in c. 2. ep. ad Rom.

Ascendens in altum. Eph. 4. 8. In altum; id est, in cœlum; inquit Chrysostomus. B. Dorotheus doct. 22. ait: ascendens in truncem voluptate suâ; & peccatum, ruinæ nostræ causam, eruci affigens captivam duxit captivitatem. *Altum* hoc Chrysostomo cœlum est, Dorotheo crux. Sed quæ istud? cum à cœ-

lo crux non minus distet, quam terra? Sic forte loquatur, qui nescit, quid sit pro Deo pati: nam qui novit, quid sit boni in cruce; illi crux par cælo est. *Exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.* Pl. 149. 5. Euthymius: *exultabunt sancti in futura gloria.* S. Hieron. *exultabunt Sancti in gloria, in cruce.* Sed quid gloriæ cælorum, & crucis? si exultabunt Sancti in gloria cælorum, quomodo in gloria crucis? R. iusto gloria, & crux; crux, & gloria, idem sunt: tantam nempe ex passione capit voluptatem; ut perinde habeat, sive in cælum, sive in crucem, ire iubeatur. Did. Nis. D. 20. Pent. §. 3.

Illud sanè erat mirabile: quia quantum iste extrinsecus, multiplici pœnarum genere contritus ardebat; tantum intrinsecus exultante interiori homine dilatabatur. S. August. de Sanctis, de S. Vincentio M.

Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicij locum læta successit! gradu festinò Virg. processit. S. Ambros. l. 1. de Virginib. de S. Agnete.

Num. 3.

Textus Scripturæ.

Milita est vita hominis super terram; & sicut dies mercenarij dies ejus. Job. 7. 1. Sicut miles optat bella ingruere, ut stipendia habeat: & sicut mercenarij timent, nè defit, qui eos conducit: ita & nobis timendus defectus tribulationum. S. Gregor. l. 8. mor. c. 7. mercenarius sollicitè curat inspicere, nè unquam dies vacuus labatur ab opere; & expectatus finis temporis, nè inanis veniat ad remunerationem: sic qui fide cursus presentis tempora pensat, dies cum operibus munerat; nè à labore vacua transeat vitæ momenta, formidat. Pinna in Eccl. 4. Ethol. 53.

Expectatio justorum letitia. Prov. 10. 28. Symmachus pro *expectatio* habet *perseverantia in re molesta*, seu *patientia*, putà patiens expectatio, quâ spe præmij duramus in malis, & nos rebus melioribus servamus. Cornelius hic.

Canet ibi juxta dies juventutis sue. Ol. 2. 15. Sept. & Syrus: *humiliabitur ibi.* Symmachus: *affligetur ibi*: nam Hebræorum *ana*, & humiliari, & affligi, & canere, significat. Cornelius hic.

Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo. Luc. 6. 23. Apostoli verò gloriam suam in ipsâ passione collocatam habebant: quia crux præfens, & gloria futura, tantam habent similitudinem; ut quodammodo eadem videatur, præfens crucis, & futura cælorum, gloria. Did. Nis. D. 20. Pent. §. 3.

Tollat crucem suam quotidie. Luc. 9. 23. Non dicit, ferat; sed *tollat*. S. Basilius interrog. 6. ferre crucem, & ferre labores à Deo immisissos, vel æquò, vel iniquò animò. Sed tollere, est animò lætò, & avidò; non solum accipere, sed rapere crucem libenter. Stella hic.

Omne gaudium existimate &c. Jacobi 1. 2.

Nonne gauderet lapis, si sensum haberet; quòd scilicet poliat, fiatque statua elegans regis? lignum quod runcinâ levigetur, fiatque thronus principis? pannus quomodo lixivio perfricetur, & emundet? &c. ita gaudeat iustus in tribulatione. Cornelius hic.

Num. 4.

Ex Patribus, & aliis.

Gaudium sit tibi in tribulationibus: nam coronæ ex varijs texuntur floribus. S. Ephrem Consil. de vita spir. ad Monachum Novit. c. 24.

Qui verè cupit esse homo Christi, æternisque se bonis perfruiturum sperat; paupertatem divitiis cum gaudio existimare debet; & afflictionem recreationem, asperitatem victus delicias, improprium honorem, & contumeliam gloriam ducere: hæc enim vera servorum Dei gloria est. Id. de Fide.

Dies festus debet nobis esse, cum patimur. Hugo Card. in Joan. 13.

Est patientia virtus moralis; per quam homo moderatur, ac frenat passionem tristitiæ: nè scilicet in adversis immoderati tristet; imò potius gaudeat in eisdem, propter multiplicem fructum inde provenientem. Dion. Carthuf. in Luc. 21.

§. VII.

Patientia reddit omnia suavia; mutat sel in mel.

Ostendit ei lignum; quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt. Ex. 15. 25. Si vobis fides Gentilium sitientibus amaritudo aliqua resistentium velut aquarum illarum, quas Israel non potuit bibere, occurrerit; imitatâ Domini patientiâ, velut injectò crucis lignò, dulcescant. S. August. l. 50. homiliar. ferm. 20.

Ut sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Deut. 32. 13. S. Anton. Päd. D. 10. Trinit. petra est duritia adversitatis, vel tribulationis: mel de petra fugit, qui adversitatis duritiam in suavitate mentis recipit.

Inundationem maris quasi lac sugerent. Deut. 33. 19. Quando est charitas patiens longanimis, bona; tunc inundationes maris quasi lac fugit: sicut Laurentius quasi floribus; sic carbonibus gaudebat, S. Bonaventura hexam. f. 18. Inundatio maris est abundantia tribulationis; quæ tunc fugitur, cum dulcis à iustis reputatur. Stephanus in allegor. Godefredi apud Tielman. & addit: denique sicut lac nutrimentum est puerorum; sic tribulatio pabulum fit electorum.

Angelus Domini descendit &c. Dan. 3. 49. S. Chrysof. ep. 3. ad Cyriacum: vides, quomodo patientia Sanctorum ignem in rorem mutavit.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. 16. Ovium patientiâ armantur Christi Fideles: nullò enim medicamine sopiuntur magis membra; nè percipiant dolores, quam patientiâ. Ideo Tertullianus, ubi

ubi reprobum Angelum invidentiæ dolore transfossium notat, mox infert: doluerat, quia patienter utique non tulerat. Quasi dolor abesse soleat ab eo, in quo patientia sedem fixerit. Baeza t. 2. l. 12. c. 3.

Neque enim de spinis colligunt ficus. Luc. 6. 44. At Christianam libet mirari agriculturam, quæ legitè rubis uvam, colligit ficus ex tribulis: nam injuriæ, vincula, tormenta, necesse, nobis pariunt immortales coronas. Oliva l. 13. Strom. hic.

Tu servasti bonum vinum usq; adhuc. Joan. 2. 10. Vinum ex aqua, est læticia ex perpeffione malorum. S. Bernardus l. 16. ex varijs. Sic & Apostoli planè vinum aqua factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes à conspectu concilij*, quando *digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. 5. 41. Quomodo non vinum ex aqua, gaudium ex contumelia? *tristitia vestra convertetur in gaudium.* Pinna Eth. 258.

Ex Patribus, & alijs.

Quomodo potest quis gaudere, ubi vincula, ubi tormenta, ubi tribunalia? maxime in hoc gauderi potest. Quomodo autem? discite: qui nihil sibi ipsi conscius est, plurimum lætabitur. Ita ut, quò majorem dixeris tribulationem, hoc majorem dicas voluptatem. S. Chrysof. hom. 15. in Act.

Sicut nihil est tam leve, quod ei grave non sit, qui invitus facit; sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur. Salvianus de provid. Dei l. 1.

Abi, & quàm fieri potest, ex omni mortali genere quare naturâ, & ingenio, asperitum vitæ & morum tuorum, institutorem; & perseverando apud illum, quotidie subfannationes, & ludibria, velut lac, & mel, bibere. Joan. Clim. scala parad. gr. 4.

Pater, quòd homo patiens de felle favum mellis elicit; malum in bonum convertit; mare quasi lac fugit; mororem in felicitatis æternæ gaudium commutabit: ut postea jucunditatis redditio subsequatur. B. Humbertus de utilit. pat. c. 42.

Quoties verbum durum, aut factum læsivum, patienter sustines; toties rubeas rosas de spinis gignis, & producis. Thom. Kemp. l. 8. de aurea corona in capite S. Agnetis V. M.

Sicut apibus mel præbet thymus, acerrima, & aridissima herba: ita homines cordati à rebus adversissimis conveniens aliquid, & commodum, decerpunt. Plutarchus de animi tranquillitate.

Patentia est justis quies, somnus.

Ex Veteri. Pleraq; Symbolicè.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam. Gen. 2. 21. nē agrè ferret Adam, unam sibi de costis ejus eripi, licet in ejus utilitatem fieret; ut hoc modò dolorem non sentiret.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

Potuisse quidem Deus ei etiam non sopito sine dolore eripere: sed docuit nos; quòd, ut homines Mundum sine dolore relinquunt, sopienti sint: ijs scilicet suadendum; ut divina meditentur: hoc enim cœlesti somnò ab humanis rebus sine dolore, imò cum magna voluptate, avellimur. Diez cont. 3. in festo S. Andrea.

Adoravit Israel Deum conversus ad lectuli caput. Gen. 47. 31. Sept. *adoravit Israel summitatem virgæ ejus.* Quid virgæ cum lectuli capite? In capite lectuli cervical ad capitis requiem apponitur; virgæ labores, tribulationesque, in Scriptura signantur: virgæ percuti justos, idem est, ac beatè requiescere. S. Hilarius can. 11. in Matth. nunquam dulcius sancti requiescunt, quàm cum laboribus fatigantur. Escobar tr. 5. Proph. Chr. l. 8. sect. 2. obl. 3.

Exurge, quare dormis Domine? Ps. 43. 23. Somnum patientiam vocat: quemadmodum enim, qui dormit, non sentit ea, quæ fiunt; in idem incidit homo patiens, cum injuriâ affectur, & convitijs laceffitur. Exurgendi actum motum in vindictam nominat. B. Theodoretus hic.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo. Cant. 2. 5. Chald. & Hebr. *fulcite me ignibus plurimis.* Non expetit auratam spondam, nec plumetum stragulum; sed pyras, & rogos, stridentium flammarum pro lectisterio: inter ustulata ligna velut inter flores recumbit. Unde Symmachus legit: *requiescere me fecisti in flore.* S. Chrysol. l. 13. de S. Laur. tunc oblata est horrenda & affanda martyriò nobilis illa Laurentij craticula, attrictus est ferro: sed ille, craticulum supplicij, lectum quietis, putabat. Arcones in li. 1. 25. Disc. 3. *Fulcite &c. Symmach. recumbere me facite in flore.* Ego dormio &c. Cant. 5. 2. q. d. sic æstimo Mundi stultus, quasi nullius sensum habeam. Sed, ut bene notat Bernardus; ad hunc somnum prius præcessit sponsi vox: *bibite, & inebriamini clarissimi v. l.* quasi solus Jesu calix possit talem soporem causare. Baeza t. 2. l. 11. c. 5. §. 8.

Quasi de somno suscitatus sum; & vidi, & somnus meus dulcis mihi. Jer. 31. 26. In captivitate calamitates patiens dulciter dormiebat. Sed quò medio? dixerat, juxta Hieronymum: *inebravi animam lactam.* Id. ib.

Dormiebat sopore gravi. Jon. 1. 5. Rupertus de Jona: futurum erat, ut inter Judaicas tempestates Dominus noster, cum esset fortissimus Deus, valde patienter sese haberet: quod dormire quodam modo est, apud eundem ib.

Ex Novo, & Patribus.

Beati mites. Matth. 5. 4. Mitras, est in lecto conscientie hominis culcitra mollis; ubi mollior, & suaviter anima requiescit. Quæ etiam lapides contumeliarum, detractionum, & injuriarum quarumcunque inflictos sibi amplexatur leviter, & sine sui læsione recipit. Hugo Card. hic.

R.

lpe

Ipsè verò dormiebat. Matth. 8. 24. Felix, qui Mundo obdormiens, nihil Mundi curat casus. Dum furit tempestas, navimque videntur fluctus forbere; Dominus dormit: ut tibi normam præbeat, quâ portum felicitatis teneas; si dormias ad Mundi strepitus, & pericula. Baeza ib. Dormitio illa in navi aliquid ostendit infigne virtutis: non solum in ipso, qui summa est virtus; sed in his quoque, quos suis actibus Salvator ad rectè vivendum informat; ut ad tantam perfectionem quis possit devenire, aut studeat devenire; ut eum quieta non inquietent, & pericula non pavefaciant, neque revocent à quiete, aut tranquillitate Christiferae pacis. Inquietum erat mare; dormiebatque Salvator: arietabant ex omni parte procellae; & Dominus dormiebat: iruebant in naviculam venti; & Dominus dormiebat. Proinde si in pace ipsius obdormivisti, atque obdormies; omnino in perturbationibus requiesces. Nec tribulatio, nec angustia, nec algor, nec penuria, & si quod malum possibile deventum; non te dividit à quiete, quam es in Christo, & cum Christo, & pro Christo, & de Christo, fortius. Sim. Cas. l. 4. c. 9.

Dormite jam, & requiescite. Matth. 26. 45. q. d. nunc vobis necessarius somnus, quando omnes hostium furiae consurgunt. Tunc ait: *surgite, eamus.* Baeza antè citatus.

Ne statuis illis hoc peccatum! & cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Act. 7. 59. S. August. l. 9. 2. de div. o somnus pacis! qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodo in suis cineribus vigilabit. apud Baeza cit.

Percussioque latere excitavit eum. Act. 12. 5. 7. Si patientia incubabo, non dolebo. Tertull. l. de patientia.

§. IX.

Patientia fortitudo.

Num. 1.

Divina.

Dominus patiens, & magnus fortitudine. Nahum 1. 3. Arabicus: fortitudo ejus maxima. S. Hieron. Deus magnanimitatis suae fortitudine iniquitates eorum (Ninivitarum) ultinuit, provocans eos ad poenitentiam. Deus deo est magnus fortitudine, quia est patiens. Pl. 7. 12. *Deus justus, fortis, & patiens.* Cornelius hic.

Jesus autem abscondit se. Joan. 8. 59. Cur Christus abiit à lapidantibus, non inscripta aliqua poenâ? S. August. tr. 43. cum Judæi lapides tollerent, quid magnum erat, ut eos continuo terra dehiscens absorberet? & pro lapidibus infernos reperirent? Non erat magnum Deo; sed magis erat commendanda patientia, quam exercenda potentia. apud Sylveira hic q. 24.

Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam. Rom. 9. 22. quid fecit? an orbis magnam partem dejecit? &c. *sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* Did. Nis. D. 19. Pent. §. 3.

Vicit orbem terrarum, subjecit omnes potestates, subjugavit reges; non superbò milite, sed irrisâ cruce: non saviens ferrò. Sed pendens in ligno. S. August. l. 63. de divers.

Rationabili patientiâ vincit inimicos Dominus noster Jesus; qui utique in hunc Mundum, ut patiendo vinceret, à Patre descenderat. S. Gaudentius tr. 11. de div. capitulis.

Fortis patientiâ nobis summè necessaria est in hac fragili vita; quæ non est, nisi quotidiana lucta contra vitia. Thom. Kemp. p. 1. ferm. ad Novit. f. 5.

Num. 2.

Humane.

Misit ante eos virum. Pl. 104. 17. Meritò dixit virum: quia multa passus, viriliter cuncta sustinuit. Cassiodorus hic.

Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. Prov. 30. 30.

Erant quidam homo ibi. Joan. 5. 5. Arab. *erat ibi vir:* quia in tanta miseria virilem habebat animum. Sylveira hic.

Omnis injuria, sive linguâ, seu manu intusa; cum patientiam offenderit; eodem exitu dispengetur, quò telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum, & obrusum. Tertull. l. de pat.

Nihil minus virile, nihil muliebrius; quàm robur in lingua habere. S. Chrysost. hom. 31. in Act.

Patientia est quasi scutum, quod opponitur sagittis tribulationum, injuriarum, tentationum &c. S. Vincent. Ferr. l. 3. de SSS. Trinit.

Virtus fortitudinis ostenditur maximè in tribulationibus. S. Vinc. Ferr. l. 4. D. 4. Adv. Contra linguæ gladium patientiæ præbe scutum. S. Isidor. l. 2. soliloqu. c. 7.

Quidam singulari sanctitate vir dixit: Christianum hominem oportere robur habere, non mallei, sed incudis. Iisd. Clarius or. 6. l. 1.

§. X.

Patiens est prudens, sapiens.

Ex Veteri, & Novo.

Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Tob. 2. 10. Eam, quæ impatientiam docet, & in iram animum stimulat, aptè stultam vocat; non iracundam: non rixosam: nam sicut sapientia semper cum patientia conjungitur; ita iracundia cum stultitia. Pinna in Eccl. 2. Ethol. 26.

Doctrina viri per patientiam nescitur. Prov. 19. 11. Ex eo enim, quòd prudentia causet patientiam, rectè ex patientia, velut ex affectu, cognoscitur prudentia, ejus causa; ita ut verè inferas: hic homo est patiens, ergo prudens: quia prudentia infallibiliter causet patientiam. Vicissim ex causa colligas effectum: est sapiens, ergo & patiens. Dicit hoc Salomon, ut vulgi errorem confutet. Vulgus enim æstimat eos, qui patienter tolerant probra, & injurias; esse simplices, viles, & abjectos: con-

contrarium ergo hic docet Salomon. Ratio: Sapiens, & prudens, sapienter intelligit; in hac vita adeo misera multa adversa homini esse expectanda: ac proinde ad ea se comparat; ut per patientiam ea facile ferat. Scit enim, si in ijs sit impatiens, malum, malique sensum, se duplicaturum: cruciabitur enim, & sensu mali, & sensu suae impatentiae; cum simplicum sit habiturus dolorem, si patiens sit. Cornelius hic. *Doctrina viri &c.* quia tantò quisque minus ostenditur doctus, quantò convincitur minus patiens. V. Beda l. 2. hic.

Vir sapiens fortis est. Prov. 24. 5. q. d. Sapiencia facit fortes, & validos, ad quævis ardua, vel conficienda, vel sustinenda; licet corpore infirmi sint. Sept: *melior est sapiens fortis.* Hebræi, teste Aldrovandò in asino, sapientis Symbolum dant asinum: eò quòd instar asini multa sapienter, id est, patienter, & fortiter perferre debeat. Cornelius hic.

Ex Patribus, & alijs.

Philosophi omnem sapientiae ostentationem de patientia praferunt. Tertullio. de pat. initio.

Non invenit locum sapientia ubi non est patientia. S. August. l. 4. de Verb. Ap.

Patientia comes est sapientiae, non famula concupiscentiae. S. August. l. de pat. c. 5.

Sapientis spiritus in sapientis Christi patientia plenarie requiescit. S. Rupertus l. 2. de oper. S. Spir. c. 3.

Qui est magis-patiens, magis est sapiens. S. Thom. Aqu. de condit. principum. l. 5. c. 34.

Quò quisque est patientior, eò probatur esse & sapientior. Drogo Ost. de 7. don. Spir. S.

§. XI.

Patere, quia meritis es.

Ex Veteri.

Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Gen. 42. 21. Oleaster: optima consideratio; cum poenam senseris, culpam meminisse, apud Alvarez hic illustr. 179.

Dominus praecepit ei, ut malediceret David. 2. Reg. 16. 10. Imitemur Davidem: qui cum malediceretur à Semei, cogitabat de peccatis suis, quibus id meritis erat; ideoque patienter id ipsum tulit. S. Gregor. mor. l. 31. c. 17. tunc illata beneficia bene toleramus; cum in secreto mentis ad mala perpetranda recurrimus, & majora nos meritis videmus. Cornelius hic.

Ulciscitur non secundum peccata nostra. Judith 7. 17. 2. Esdræ 9. 33. Levites: & tu justus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti; nos autem impie egimus. Dan. 3. 28. in veritate, & iudicio, induxisti omnia haec propter peccata nostra.

Justus es Domine. Pf. 118. 137. S. Am. Polyanth. Sacra, Tom. II.

prof. l. 18. vulgus hominum injuste se putat tolerare, quòd patitur. At verò justus vir, qui seipsum statim in exordio sermonis accusat, iustitiam Domini praedicat; quòd meritis suis digna patiatur. apud Mendoza in 1. Reg. 3. annot. 6.

Si ignoras te &c. Cant. 1. 7. Per cognitionem sui cessat omnis querela contra Deum de malis, quæ patimur. Precatio enim sponsae involvit querimoniam de absentia sponsi; ob quam in tot miserias est prolapsa. Cui respondet sponsus: *si ignoras te.* q. d. si te cognosceres, non quæreres. *Abi post vestigia gregum;* discite obedientiam, subjectionem, & sufferentiam, à gregibus irrationabilibus. Sicut oves percutienti pastori non contradicunt, ab illo seduci sinunt, quo vult, ita tu committe te meae providentiae. de Ponte hic Exhort. 14. §. 6.

Nos propter nosmetipsos haec patimur peccantes in Deum nostrum. 2. Machab. 7. 18.

Ex Patribus.

Leve videbitur, quòd injurià percutimur; dum in actione nostra conspicimus; quia peius est, quòd meremur: sicque sit, ut contumelias gratia magis, quàm ira, debeatur. S. Gregor. mor. l. 30. c. 9.

Quando bene est, lauda misericordiam; quando male est, lauda iustitiam. S. August. in Pf. 98.

Peccator filius dedignatur flagellari; cum sine peccato videat unicum flagellatum. Id. in Pf. 88.

Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori. Qui sibi sanctiores videntur, solent Deo referre gratias; quòd de periculis, vel miserijs, liberati sunt. Sed juxta Apostolum, haec virtus est maxima; ut in ipsis periculis, atque miserijs, Deo gratias referantur, & semper dicamus: benedictus Deus! minora me sero sustinere, quam mereor: haec ad mea peccata parva sunt; nihil mihi dignum redditur. S. Hieron. in ep. ad Eph. 5. 20.

Non murmures, non blasphemies; non dicas: quare sustineo mala? - sed magis dic: peccavi! - non sunt tanta supplicia, quanta exiterunt peccata. S. Isidorus l. 1. soliloq.

Laudamus civiles leges, decreta imperia, & humana judicia; quæ condignam malefactoribus retributionem jubent impendi: & iustitia Dei detrahimus, judiciaque damnamus; si nos delinquentes insequitur, si nostri non parcat flagitijs. Quòdque deterius est, persæpe, quòd in altero aequissimum fatemur, per impatientiam reprehendimus; si persiciatur in nobis. S. Laur. Just. l. de Spir. an. resurr.

Quisquis perfecte senserit onus peccati, & animæ lationem interiorem; utique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis poenam: nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri praterita, futura cavere. S. Bernardus l. 3. de altitudine cordis.

§. XII.

Patientia innocens.

Ex Veteri.

ERit autem agnus absque macula. Ex. 12. 5. Agnus requisitus ad immolandum, & ad necem, debebat esse sine macula. Placet Deo innocens victima. Sylveira in Act. 25. q. 1. Innocentia maximè patiendum.

Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Job. 27. 6. patiens Job ait.

Quoniam declinaverunt in me iniquitates. Pl. 54. 4. id est, quoniam inimici projece- runt in me falsa crimina. *Cor meum conturbatum est in me.* - *Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columba?* Bellarminus hic.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Cant. 5. 10. Rupertus: unde candidus? & unde rubicundus? Nimirum candidus sanctitate, rubicundus Passione. Dicat aliquis? si ergo candidus, quare rubicundus? si sanctus, quare passus? Didacus Nils. D. 16. Pent. §. 1.

Sicut ovis ad occisionem ducetur. Il. 53. 7. Ideo innocentissimus agnus neci datus, quia velut ovis omnibus ex se benefaciebat. Id. ib.

Daniel c. 1. 6. non peccavit; Ananias, Azarias, Misael, à peccato immunes fuerunt; & ramen captivi effecti sunt. Origenes hom. 1. in Ezech.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Ad reges, & principes, ducemini propter me. Matth. 10. 18. S. Thom. ducemini ad reges: sed magnam debetis habere consolationem, quia propter me scilicet, quem diligitis. Hugo Card. hæc erat eis magna consolatio; cum scirent, quòd propter Deum patiebantur. Sylveira hic c. 8.

Ecce agnus Dei. Joan. 1. 29. Joannes Passionem non ignorabat; sed hoc primum testatus est, dicens: *ecce agnus Dei.* Agnum vocans, crucem divulgat. S. Chrysol. in Cat. S. Thomæ. Ubi innocentia Christi prædicatur, ibi crux, & mors denuntiatur: inseparabilia crux, & innocentia. Sylveira in Act. 25. q. 1.

Existimabat se visum videre. Act. 12. 9. Cur Petrus Angelum non agnoscit? Erat Petrus innocens inclusus in carcere; & erant ibi multi iniqui, & malefactores: vidensque se innocentem à vinculis absolvi, cum maligni remanerent in custodia; sciensque Mundi perversitatem, quâ innocentes opprimuntur, & pravi salvantur: ideo velut somnium, quòd fiebat, reputabat. Sylveira hic q. 14.

Gaudeo in passionibus. Colofs. 1. 4. Ratio: *nihil mihi conscius sum.* 1. Cor. 4. 4.

Tentatum per omnia absque peccato. Hebr. 4. 15.

Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 1. Petri 4. 15. Hugo à S. Vict. dum expendit illud Pauli Gal. 6. 14. *mibi absit glo-*

riari, nisi in cruce Domini nostri, ait: dicunt homines, quando pœnam sustinent: si meruissimus, non erubesceremus; nunc autem injustè pati ingnomiosum est nobis. Obloquium videtur: imò si pro culpa pateris, erubescere; si sine culpâ, gloriare. Latro magis esse vis, quàm Christus? Sylveira in Matth. 10. c. 8.

Patientia amica est bonæ conscientia, non inimica innocentia. Cum ergo videris quendam patientiam; quam non ostendit, nisi causa patiendi. Quando illa bona est; tunc ista vera est. S. August. l. de pat. c. 5.

Feliciter sunt miseri, quos certò constat non meruisse. Hinc est, quòd gloriamur in vinculis; quorum causa nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello. Hildebertus ep. 39.

§. XIII.

Patientia signum prædestinationis.

Num. 1.

Figura, & Symbola.

EX omnibus animantibus &c. Gen. 7. 2. Inferius bestias, quadrupedia, atque reptilia; superius verò aves, & homines, habitasse credendum est. Ibi lata exitit, ubi bestias habuit; ibi angusta, ubi homines servavit. S. Greg. hom. 38. in Evang.

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Ismael ad speciem tenerius videtur dilectus: nam, cum Dei jussu domo illum excluderet, matris scapulis imposuit, & panes largitus est. Gen. 21. 14. *Quid fecit Isaac? tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* - *cumq; alligasset Isaac filium suum.* Dilectus tam præ Ismaele? & quomodo? Ismaeli providit commoda, Isaac martyria: ille portatur, hic portat; sed incommodis procuratur Isaac ingens felicitas. Naxera in Jos. 24. §. 7.

Accedat huc ut tangam te fili mi; & probem, utrum tu sis filius meus. Gen. 27. 21. Vix aliter Deus. Tangendus es mi fili: calidas manus quidem habeo; sed urunt. Sed si filius meus es, patieris te tangi. Drexelius Gymn. pat. t. 2. p. 1. c. 2. §. 2.

Rachel ultimam filium, eumque charissimum, *Benoni*, hoc est, *filium doloris.* Gen. 35. 18. Sicut Il. 53. 3. *Christus virum dolorum.* Jacob autem eundem *Benjamin*, id est, *filium dexteræ* nominavit. ib. Quid est hoc aliud? quàm filios Dei, qui persecutionem patiuntur, esse non tantum *Benoni*, seu filios doloris; sed etiam *Benjamin*, filios dexteræ: qui scilicet in illa dextera agnorum, non hircorum, statuentur. Stengelius t. 1. Judic. div. c. 31. Formosa illa Rachel Ecclesie est typus; quæ magnis angustijs, & doloribus oppressa plurimos enititur filios; quos haud incongruè doloris filios appellare potest: sed eos deinde Pater cælestis dexteræ filios nuncupat; quòd, qui in tribulationibus stabiles sunt, tandem ve-

lat,

lut legitimi filij à Deo ad dexteram in regno cœlorum collocandi sunt. Petrus Beseus D. 3. Pafch.

Joseph accusavit fratres suos - crimine pessimo. Gen. 37. 2. Sed non refertur ulla patris obiurgatio. Joseph verò referens Patri, & fratribus, somnium de sole, lunâ, & stellis, arguitur à patre: *quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti?* v. 10. Reliqui erant filij ancillarum; Joseph verò tenerimè dilectus, & patri præ cæteris erat charus. *Videntes fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum.* v. 4.

Invenit scyphum in sacco Benjamin. Gen. 44. 12. In sacco Benjamin vas Joseph inventum est. In habitu & vita Religiosi, reperi debet calix Jesu Christi, hoc est, Passio ejus, paupertas, & austeritas. In hoc vase augurari solet ipse Dominus: nam ex clarioribus signis prædeterminationis est; si libenter bibas sanguinem Passionis Domini. Diez. Monachi austeritas.

Duos Cherubim aureos, & productiles facies. Ex. 25. 18. hoc est, ex auro ductili, & mallei operâ extenuatò: quia in sanctis sanctorum, potissima templi parte, collocandi erant. Barradius tom. 2. l. 8. c. 10. cum audisset in vinculis.

Voluit saxa ingentia ados spelunca - vos autem nolite stare. Jos. 10. 18. 19. Quam amaverant, hostibus quietem permittit; milites verò ad bellicos labores cogit: supplicia regibus distulit; durioribus reservans: *eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca.* v. 23. Milites, quos compulsi defudare, gloriosis fecit micare trophæis: quos otio indulgere permisit, infami stipiti dedicavit. Naxera hîc §. 49.

Num. 2.

Testimonia ex Veteri.

Nunc-scio, quòd certissimè regnaturus sis. 1. Reg. 24. 21. Unde hoc cognovit Saul? ex persecutionibus, quas ab ipso Saule multis diebus humiliter sustinebat. Patientia in persecutionibus signum est prædeterminationis. Diez Patientia.

Frustrâ conflagavit conflagator. Jer. 6. 29. Omnipotens conflat hominem, quem creavit: quia per ignem tribulationis, atque per verba doctrinæ, in unum vult redigere, quem dispersum in multa cognovit; & purgare, qui se propriâ voluntate infecit. Sed sæpe tribulationis ignis ardet, non purgat: & doctrina suscipitur, & non emendat; non defectu agentis, sed perveritate patientis. Nullum sanè reprobationis signum certius, quàm purgatorij per Deum ordinatis nolle purgari. Sim. Casl. l. 4. c. 3.

Propter me orta est tempestas hac. Joan. 1. 12. Navis illa, quâ servus Dei Jonas vehebatur, plena erat idololatriæ, & Infidelibus; quos tamen pro tunc Deus non punivit; & de inobedientia servi sui vindictam tulit. Sic, licet nos Fideles premamur miserij; & Turcæ &c. in prosperitate vivant; non putemus Deum no-

stri oblivisci: quia agit nobiscum tanquam cum filijs sibi valdè dilectis; castigat nos, ut emendemur. Diez conc. 2. in Nat. S. Joan. B.

Ponam te quasi signaculum. Aggai 2. 24. Mystice: Christus est sigillum Dei: quia suâ effigie, putâ, suâ fide, gratiâ, virtute, moribus, caractere in Baptismo, alijs Sacramentis, ob signat suos Fideles. Deus enim misit Christum qui voluit nos conformes fieri imaginis Filij sui. Rom. 8. 29. ut, *sicut portavimus imaginem terreni Adæ; ita portemus & imaginem cælestis.* 1. Cor. 15. 49.

Ducam tertiam partem per ignem. Zach. 13. 9. Tertiam partem Electorum per ignem traducit, ut populum suum. Ideo subjungit: *dicam populus meus es.* S. Cyrill. Alex. ad multas vexationes, & persecutiones, excipiendas vocati sunt. Quæ igitur hinc utilitas? aut quod præmium referent? qui sic afflicti, & prostrati sunt? Domestici, noti, & dilecti Deo, evaserunt. Quocirca hæreditas Dei, & Patris facti sunt. Arcones in Il. 1. 25. Disc. 4.

Ex Novo.

Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Matth. 1. 21. quoniam non salvi fient, qui non sunt de populo Dei. Quem autem appellavit Deus populum suum, nisi populum; circumcisum? ut spiritali circumcissione secernat, qui de populo Dei satagit numerari. Sed quis populus Dei, nisi qui fuit flagellatus in Ægypto? Flagellis erudiri oportet, qui vult esse in populo Dei. Populus Dei est, qui dimisit spirituales, & obscuram Ægyptiacam regionem; qui effugit servitatem invisibilis Pharaonis; qui sequitur Moysen, Aaron; legem, & Sacerdotium; doctrinam, & gratiam; Evangelium, & Sacramenta: qui transit mare sæculi sicco vestigiò; nè pedes animarum intingantur malâ doctrinâ, & lutò temporalium rerum; qui videt Ægyptios malarum delectationum in littore suffocatos; qui per deserta sequitur Christum. Sim. Casl. l. 2. c. 17.

Cum audisset in vinculis. Matth. 11. 2. Joannem; quem Angelus Luc. 1. 15. *magnum coram Domino* fore prædixerat, vinculis videmus in carcere constrictum; Herodem verò impium in sublimi throno. Innocens cruciatur, nocens deliciatur: qui enim magnus est, magna tolerat; potentes virtute poterunt propter Deum tormenta patiuntur. Virtutis magnæ labores magni comites sunt. S. Chrysost. hom. 8. in Matth. viriliter cuncta sustineas; sciens, tribulationes maximas inseparabiles quosdam comites esse virtutum. Dulcibus in fluvij ingentes ceti, alijque magni pisces, non reperiuntur; sed in amaro mari: sic in dulci vita magni coram Domino viri non visuntur. Magnæ naves per profundum pelagus; magni coram Domino viri per profundas tribulationes, in cœlum navigant. Sublimi, conspicuoque adificij loco statuendi lapides pluribus, quàm alij, percussionibus dolantur: sic sublimiori in throno cœli collocandi homines pluribus, quàm ceteri, cruciatibus poliuntur. Barradius tom. 2. l. 8. c. 10.

R 1 3

Hic

Hic est Filius meus dilectus. Luc. 9. 35. O coelestium tempestatum faustissimos turbines! ô nubilum omni iucunditate serenius! Apostoli quidem pavore territi ultimum timebant excidium: cum ecce tibi è nube aurea effluit vox, quâ Christus dilectus Deo Filius renuntiatur. Ergo noli desperare, cum ater super caput nimbus impenderit: nam licet te vellimentis gloria exuat; licet Moysen, & Eliam, fuget; licet tui fulgorem vultus infuset: filium nihilominus te Dei non declarat tantum, sed facit. Magis à Deo amaris, cum nubes te horrida inumbrat. *Il. 19. 1. ecce Dominus ascendet super nubem levem:* nubes sunt persecutiones; sed iustitiæ solem non subducunt, at advehunt. *Oliva 1. 13. Strom. hic.*

Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Hebr. 12. 6. Nè te sine flagello speres futurum; nisi forte cogites exhereditari. S. August. in Pf. 31.

Ego, quos amo, arguo, & castigo. Apoc. 3. 19. E contra verò. Jer. 12. 1. *quare via impiorum prosperatur.* Ansbertus hic. Electi per presentes tribulationes ad hereditatem paternam; & reprobi, sine temporali flagello, ad mendicantem perveniunt æternam. apud Sylveira in Act. 8. q. 14.

Ex Patribus, & aliis.

Quòd te non vult pati, non pateris; quòd te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non poena damnantis: *ad hereditatem sempiternam erudimur, & flagellari dedignamur?* S. August. tr. 7. in Joan.

Nonne melius est, ut flagellet te, & recipiat te; quam parcat tibi & deserat te? S. Aug. de verb. Dom. ferm. 4.

Certa, atque segura, est expectatio promissæ beatitudinis; ubi est participatio Dominicæ Passionis. S. Leo l. 9. de Quadragesima.

Quemadmodum continuus successus temporalis indicium damnationis est; ita flagelli eruditio cum patientia indubium prædestinationis agnoscitur esse prælagium. S. Laur. Just. l. de cont. Mundi c. 19.

Qui bona agit, & mala suscipit; quidquid sibi iustæ retributionis in terra subtrahitur, hoc illi in cælo multiplicius cumulatur. Porrò medici corporum, quos desperat, ad percipiendam passim, quæque petierint, alimenta relaxant: ad quos erigendos esse conspiciunt, cuncta eis noxiæ delectationis minaciter interdiciunt; antidota insuper amara propinant. Vites quoque, & fecundæ arbores, putationibus subjacent: steriles autem, & quæ ignibus sunt tradendæ, ramis evagantibus, quòd liberius, eò diffusius patent. Noli itaque hujus vitæ felicitatem hominibus invidere; sed condole: imò, quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce. Qui nimiram velut bruta animantia ad macellum edendo properant edendo, ad gladium lascivendo festinant. B. Petr. Dam. ep. 6.

Sit mens in prosperis timida, sic in adversitate segura: cumque bona facit, & tolerat; tunc se procul dubio numerari inter Christi membra confidat. Quisquis enim rectè vivens fla-

gellis atteritur; sicut Christi nunc in utroque vestigia sequitur, ita postmodum ejus confortio non privatur. B. Petrus Dam. ep. 31.

Magni amoris, & electionis æternæ, signum est; quando homines redarguit, increpat; neque sinit quiescere, donec exeat à peccato. S. Thom. Vill. f. in D. 4. Adv.

Hoc signum amoris, hoc indicium æternæ hereditatis; si me hic fecerit consortem sui calicis. Id. conc. de S. Jacobo.

Qui exceptus est à Passione, & tribulatione flagellorum, exceptus etiam erit à confortio electorum filiorum; quia scriptum est: *ve vobis, qui habetis hic consolationem vestram.* Idiota, 2. contempl. c. 1.

§. XIV.

Patientia propria Christianorum.

*P*Onam illum quasi gregem in ovili. Michæ 2. 12. Sept. & Chald. legunt, *in tribulatione:* ut sciant Fideles; se vocatos esse ad ovile Christi, quasi ad domum tribulationis, & crucis. Cornelius hic.

Nemo moveatur in tribulationibus nostris: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus. 1. Thes. 3. 3. August. in Pf. 25. si vides malos florere, bonos laborare; tentatio est, fluctus est; & dicit anima tua: ô Deus! Deus! ipsane est iustitia tua; ut mali florent, boni laborent? Dicis Deo: hæcine est iustitia tua? Et Deus tibi respondet: hæcine est fides tua? hæcine tibi promisi? aut ad hoc Christianus es factus; ut in sæculo floreres? apud Marchantium D. 2. Adv.

Christianorum est, pressuram pati in hoc sæculo, & lugere; quorum est vita æterna. Origenes l. 2. in c. 2. ad Rom.

Pati Christianorum est. Philo Carpath. in Cant. 1. 9.

§. XV.

Patentiæ motivum, cæli, & salutis, memoria. Symbola.

*F*enestram in arce facies, & in cubito summatis summitatem ejus. Gen. 6. 16. Olearter: videtur contextus innuere, fenestram fuisse in superiori porta arcæ. Alias fenestras in lateribus, non verò in summitate ædificij, ponimus; cur hic superius in summitate arcæ? Benedictus Fernandus c. 7. in Gen. sect. 6. Intelligitur fenestra, per quam lux admittitur, cælumque suscipitur. Qui enim in funebri illo feretro, velut morte conspulti, tam calamitosam vident vitam, absque ingenti consolatione, ac levamento, quod cælum conluentibus præbere solet. Sic Stephano videnti cælos apertos dulces lapides fuere, Paoletti in festo S. Stephani.

Animalia ibant, & revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis. Ezech. 1. 14. Unde illis, præsertim homini, & bovi, lentis, talia celeritas? *Et similitudo super capita*

pita animalium firmamenti. v. 22. Fronti infidens aeternitas alas addidit vel bovi. Oli-va l. 11. Strom. §. viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum.

Testimonia ex Veteri.

Sedens in sterquilino. Job. 2. 8. Jacebat corpore in sterquilino; sed animò habitabat in caelo: consumebatur vernibus, qui spiritus superabat immundos. Parva sunt, si consideres, quae recipit. Cassiodorus in Pf. 37.

Factus est mihi Dominus in adiutorium spei meae. Pf. 93. 22. Nullus invidet perituris; nullus felices aestimet; qui sub aeternitate damnandi sunt. Amemus potius afflictiones, quae faciunt perpetuò felices. Nam si amarum Medici potionem non respicimus, ut temporalem suscipiamus sospitatem; quis istud sanæ mentis affectare non debeat, quod se propter aeterna gaudia subire posse cognoscat; Cassiodorus hic.

Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, cum recordaremur Sion. Pf. 136. 1. Nota: super flumina: juxta ripas fluminum federe nil mirum; sed super flumina sedere, quomodo id fieri potest? cum recordaremur Sion. Quietem caeli Christiani animò volunt; ideo aquis tribulationum non merguntur. Rupertus: illorum erat hoc dicere, qui recordabantur Sion: Tales nimirum non sub aquis fluminum absorpti erant; sed superfedebant: similes aviculis, quas aquae imperiò Dei produserunt paratas ad volandum. Didacus Nifs. Sabbatho post D. 1. Quadr. §. 1.

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. Prov. 21. 4. q. d. inquit Salazar: qui angusti est pectoris inter hujus vitae adversitates, non figat obtutum in calamitates praesentes; sed erigat magis; & sursum aspiciens videat, paratam esse his afflictionibus gloriam. Id. ib.

Videre, si est dolor sicut meus. Thr. 1. 12. Curet quisvis discernere inter dolores, & dolores infirmi & videat, an dolores, quos patitur, sint sine salutis utilitate, an verò sint salutis aeternae utiles. Illos putet dolores Inferni, hos amet, & amplectetur ut dolores Christi. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 14.

Ambulabant in medio flammae laudantes Deum. Dan. 3. 24. S. Zeno l. 1. de tribus pueris: tres pueri in illo sacro certamine Deum praeculis sibi praeposuerunt, non flammam; praemium futurum, non poenam.

Peto nate, ut aspicias ad caelum. 2. Machab. 7. 28. Infans, gigantibus par, quâ ratione sicis oculis fratrum lanienam intueri potuisti? fratres mei modicò nunc dolore sustentatò sub testamento aeterna vita effecti sunt, v. 36. En currens gigas ad supplicia, sperans aeternitatis stipendia. Eâ cunctantem Rusticum impellit Hieronymus ad peregrinationem longinquam ep. 4. exi cum Abraham de patria: substantiam, si habes, vende. Durum, magnum, difficile; sed magna sunt praemia. Audeo dicere: morienti in cruce Domino caelum, solemque subductum, nè lucis spectaculo myrrhae falciculus in falcem liliorum verteretur.

Non enim poena crux est, si caelum pateat. Latio certè, cum regni meminisset, ita patibuli sui oblitus est; ut nec doluisse scribatur, nec illud à se deprecatus. Oli-va l. 11. Strom. §. Viri Galilaei.

Ex Novo.

Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Luc. 22. 31. Talis est agitatio justorum. Et triticum, & palea, agitantur; ventilantur in area Mundi. Nullus est justus, seu impius; qui sub malorum agitatione non sit. Injustus doleat, quòd agitur sicut palea; ut post agitationem mittatur in ignem: justus gaudeat, qui agitur sicut triticum; ut post agitationem servetur in vitam. Baeza t. 2. l. 8. c. 3. §. 14.

Quem queritis? Joan. 18. 4. Magna charitas, quae mortis excludit horrorem! miranda securitas, quae inimicis sponte se donat. Ad hæc caput nostrum animavit & membra. Sciebat enim ipse impassibilitatem post Passionem; id est, vitam post mortem, gloriam post sepulchrum, indubitanter futuram. Passio nulla deterreat, ad quam impassibilitas vera, & aeterna, succedit. Frustrà poena conturbat, de qua delectatio nascitur. Nec tyrannorum gladios paveant, quibus consecrantur ad Christum. Mortis terrore non angitur, qui de morte vitam cognovit prodire supernam: omne asperum non conturbat, si cruciat; cum infinita sequatur amenitas. Simon. Caus. l. 13. c. 11.

Video caelos apertos. Act. 7. 55. Cur S. Stephanus visionem suam non tacet, sed publicat? quia, cum esset princeps, & dux, omnium Martyrum; eos suo exemplo hortatur: ut fortiter, & constanter, Martyrium subeant, & non timeant: Christus enim adstat ad eos juvandos; & ad januam quasi expectans, ad dandam eis coronam. Sylveira hic.

Ex Patribus, & alijs.

Nihil ejus sentit in nervo, cum animus in caelo est. Tertull. lib. ad Martyres.

Nonne si minutatim incidi, si innumeras mortes mori; si innumeras animas, & totidem quotidie corpora, traditum iri oporteret; nonne, inquam omnia pro tanta gloria subeunda essent? S. Chrysostr. hom. 79. in Joan. c. 17.

Pericula non respicit Martyr, coronas respicit: plagas non horret; sed praemia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes; sed Angelos supernè lætis omnibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporalia pericula; sed ad praemiorum aeternitatem. S. Basiliius hom. de Barlaam apud Did. Nifs. Sabb. D. 1. Quadr.

Sæpe propter Christum afficitur contumeliâ, & ignominia quispiam. Martyrium imminet, tormenta undique, & ignis, & gladius, & bestiae, & gurgites. Verum interea Spiritus S. alloquitur: sustine Dominum: parva sunt ista, quae fiunt: brevi tantum tempore labora; & in sempiternum eris cum Angelis. S. Cyrill. Jerof. Catech. 16.

Cui

Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non fit ingratus, qui per dolorem revocat ad salutem. S. Chrysologus li. 167.

S. Franciscus rogatus, quomodo tam tenui veste frigus toleraret? respondit: si supernae patriae flammâ per desiderium conteregetur, facile nos ab hoc frigore tueremur. Cornelius in Ex. 27. 9.

S. Agapetus M. puer 15. annorum, sub Aureliano A. C. 275. virgis, nervis, igne, fumô, aquâ bullente, aliisque gravissimis tormentis, excruciatu, & dilaceratu; cum in caput ejus congererentur carbones ardentes; gratias agens Deo dicebat: parva res est, si caput coronandum in cœlo comburatur in terra: quàm decorabit corona gloriæ plagas, & vulnera excepta pro Christo! ita habet ejus vita 18. Augustii Cornelius in li. 62. 3.

§. XVI.

*Patientia ob spem mercedis &c.
Symbola.*

Tempus veniet, cum excutias, & silvas jugum ejus de cervicibus tuis. Gen. 27. 40. Ultima benedictionis clausula dolorē sopiebat, & in spes bonas animum consternatum sublebat. *Tempus veniet &c.* q. d. cum Seneca: omnia tibi fortuna abstulit, sed spem reliquit. Naxera in Jos. 17. §. 19.

Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Gen. 29. 18. Si justus ille (Jacob) propter puellæ amorem, septennium servire, ferreque pastoralium laborum arumnas, decrevit; & non sentit vel labores, vel temporis longitudinem; sed omnia ei levia, & facilia videntur: expectationesque, & spe fructus altur; ita ut dies paucos longum illud tempus putet: qualem nos habebimus excusationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & Curatorem, & qui nobis sit omnia, afficimur? sed quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus. Qualis nobis erit venia, qualisve excusatio, sic negligentia deditis; qui neque quantum beatus ille in puellam declaravit amorem, tantam in Deum charitatem habemus; idque cum tanta possimus numerare in nos beneficia collata, & quæ quotidie conferuntur. S. Chrysol. hom. 55. in Gen.

Qui percussit Cariath-Sepher, & cepit eam; dabo ei Axam filiam meam uxorem. Jos. 15. 16. dixit hoc, ut milites ad arduum certamen excitet. Id. hic.

Sed & clavos fecit aureos. 2. Paral. 3. 9. & 3. Reg. 6. 21. & affixit laminas clavos aureis. V. Beda l. de templo, c. 12. clavi aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipsæ sunt promissa æternæ claritatis; per quæ in exercitio, studioque virtutis, ne deficiamus, donante Christi gratiâ continemur. Arcones in li. 1. 20.

Statura tua assimilata est palmæ. Cant. 7. 7. Quia palma inferioribus aspera videtur, in summo autem pulchritudinem, & fructus suavitatem ostendit; merito huic itatura assimilatur Ecclesiæ; sive animæ cujusque fidelis,

quæ asperos pro Domino portat in terra labores; sed mercedem à Domino gratissimam se accipere sperat in cœlo. V. Beda l. 6. hic.

Gemma gratissima expectatio præstolantis. Prov. 17. 8.

Operatur patientia probationem; probatio verò spem. Rom. 5. 3.

Genius, quasi fessus, & sopore lassus, incubat anchora. Lem. *Juvat fessos. Habebis fiduciam propositâ tibi spe; & defossus securus dormies.* Job. 11. 18.

- Spes est dura; sed lenit tamen

Vie labores. Non solet tranquillitas

In delicati pectoris molli thoro

Secura permanere. Spe durâ jacet

Securitas. Spes dura tranquillum facit

Sibi incubantem. Sæviant venti licet;

Dominentur undæ: somnium ex illis tamen

Spes dormienti facere jucundum potest.

Helius.

Anchora infigitur. Lem: *spes ferit: & tamen una juvat, mentemque quietam sola facit. Fundati, & stabiles, & immobiles à spe.* Colofs. 1. 23. Idem.

Testimonia ex Veteri.

Vidi per somnium quasi solem, & lunam &c. Gen. 37. 9. S. Cyillus: sic Deus juveni Joseph per somnia significabat; illum aliquando clarissimum, & fratribus suis longè præstantiorem fore: atque ita eum ad virtutes, atque meliora, provocabat; quemadmodum hi, qui præmia Athletis proponunt, facere solent. apud Naxeram in Jos. 15. §. 18.

Affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem producebant vitam eorum. Ex. 1. 13. 14. In quo hæc asperitas vitæ maximè apparebat? Cyrill. Alex. l. de ador. in spir. sine mercede hæc, & magnò sudore, & laboribus, perficiebantur. Ecce amaritudo: non quia opere lateritiò: & sudore magnò, laborarent, turres, & civitates, ædificando; sed quia sine mercede, & spe retributionis, hæc perficiebant. Castillo Ethol. 187.

Confortamini, & non dissolvantur manus vestra: erit enim merces opori vestro. ait Azarias 2. Paral. 15. 7.

Nunquid Job frustra timet Deum. Job. 1. 9. Occultat coronam, quò dimicatorem ostendat. S. Chrysol. hom. 5. de patientia Job.

Militia est vita hominis super terram; & sicut dies mercenarij dies ejus. Job. 7. 1. Sicut miles optat bella ingruere, ut stipendia habeat; & sicut mercenarius timent, ne defint qui eos conducant: ita & nobis timendus defectus tribulationum. S. Gregor. mor. l. 8. c. 7. mercenarius sollicitè curat inspicere, ne unquam dies vacuus labatur ab opere, & expectatus finis temporis, ne inanis veniat ad remunerationem: sic qui fide cursûs præsentis tempora pensat, dies cum operibus numerat; nè à labore vacua transeant vitæ momenta, formidat. Pina in Eccl. 4. Ethol. 53.

S. Gregorius Nys. quærit: cur Psalmista tam multis psalmis hæc verba præscripserit: *In finem?*

nem? quibus monet, ut intentis semper oculis finem spectemus. Græcus habet: *in victoriam*: tanquam admonens; ut victoriam habeamus ob oculos. Respondet S. Gregor. tr. 2. in Pf. cum omnis certaminis victoria sit finis, ad quam, qui certamen ingrediuntur, omnia sua referant, eaque freti pugnare incipiant; mihi planè persuadeo, finis nomine velut quâdam commotione, excitari omnes, qui in hujus vitæ stadio per virtutis exercitationem decertant, ut finem respicientes, spe coronæ obtinendæ, certaminum laborem levent, & minuant. Ut quisque ardentem pugnet, præliatoribus omnibus oclamat David: *in finem! in victoriam!* Did. Nifs. Sabb. D. 1. Quadr. §. 1.

Latentur omnes, qui sperant in te. Pf. 5. 12. S. Francisci vox: quod in penis me oblecto, facit bonum, quod expecto. P. Rho affectus spei 9. in Caduceatore pacis æternæ.

Credo videre bona Domini in terra viventium. Pf. 26. 13. O bona Domini dulcissima! immortalia, incomparabilia, sempiterna, immutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini? Credo videre; sed non in terra morientium. S. August. hic.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. Pf. 114. 1. Quia non est poena, quæ promovet, non est dolor, qui perducit ad requiem: nec durus æstimandus est fletus, qui æterna gaudia subministrat. Intendimus enim, non quod patimur, sed non speramus. Cassiodorus hic.

Latatus sum in his, quæ dicta sunt mihi &c. Pf. 121. 1. O cordata læticia regis, non in corona exultantis victi Goliath, aut delati à Deo imperij; sed tripudiantis in beata spe: *in domum Domini ibimus.* Nisi fallor, spes tanta & condire potest ærumnarum fel, & mel infatuare temporalis felicitatis. Job in sterquilinio vermes mirabatur quasi Smaragdos. Cur? audi. c. 19. 26. *Rursum circumdabor pelle meâ.* Oliva l. 3. Strom. §. Lætatus sum &c.

Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea. Pf. 141. 6. Quando tolerabam, quando tribulabar, dixi: *tu es spes mea.* Spes mea hic, ideo tolero: portio autem mea non est hic; sed in terra viventium. Dat Deus portionem in terra viventium, sed non aliquid à se extra se. Quid dabit amanti se, nisi se? S. August. hic.

Laboravit dives in congregatione substantiæ. Eccl. 31. 3. Et idcirco inexcusabiles sunt, qui propter coelestes, & perennes, divitias negligunt laborare. Si enim tempestas pelagi nautis; plaga, & vulnera, militibus; glacies, & frigora, agricultoribus; levia, & portabilia sunt; propter spem præmij temporalis: multò magis, cui cælum placet, nullum debet sentire periculum: maximè enim labores mitigat, in finem bonum venire. Ne aspicias ergo, quod via ista aspera est; sed quod ducit: nec aliam, quod lata est; sed ubi definit. Geminiani c. 21.

Polyanth. Sacra, Tom. II.

Ex Novo.

Fugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. 30. Suave est volentibus, durum est nolentibus. Quamvis durum videatur esse ad sanctos, propter corporalem tribulationem; tamen suave est: quia habent spem vitæ æternæ. S. Hieron. in Pf. 16.

Post dies sex. Matth. 17. 1. Sex diebus operatus est Deus, septimò *requievit ab universo opere, quod patrarat.* Gen. 2. 2. Sex dies laboris, & operum, tempus significant: post sex dies, id est, post laborem, & opera, sequetur æterna requies. Barradius D. 2. Quadr. t. 2. l. 10. c. 28.

Portavimus pondus diei, & æstus. Matth. 20. 12. Portant operarij pondus diei, & æstus; sub laboris, & æstus, pondere sudant; sed mollissimò linteò sudorem abstergunt: spe scilicet denarij æterni. S. Gregor. in Job. 7. quomodo Paulus remunerationis linteò sudores tanti laboris tergat, ipse denuntiat dicens: *non sunt condigne &c.* Rom. 8. 18. Barradius D. Sept. t. 3. l. 5. c. 17.

Unus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat. Luc. 23. 39. Alter ad eò constanti, & tranquillâ mente, patiebatur, ut diceret: *Domine memento mei.* v. 42. ambo æqualibus discruciatu doloribus; sed non ambo impatientiæ obscurati blasphemij. Quod discrimen? quia alter spe carebat; spe alter leniebat cruciatus. S. Gregor. mor. l. 18. 25. spem habuit, qui regni ejus aditum postulavit dicens: *memento mei &c.* Naxera in Jos. 8. §. 6. præmij spes laboris aspera emollit.

Noli scribere Rex Judæorum. Joan. 19. 21. Quid refert titulus inter acerbissima vulnera spiritum exhalantis? plurimum sanè: erat enim titulus certaminis præsumptivoque præmij crucis dolores sopitos hostes credebant: ut, nî titulus deleatur, crucis supplicium non arbitrantur. Hugo Card. titulus triumphalis, qui de triumpho inscribitur, ut in arcu, vel in fornicibus. J. N. R. J. Cajetanus: super crucem sustentabatur titulus, ac per hoc crux reminebatur. Crux per titulum crux esse desinebat; quasi doloribus finem titulus imposuerit: quia de præmij honore in desiderium jam vertebatur cruciatus. Naxera ib.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Rom. 12. 12.

Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suò metemus non deficientes. Gal. 6. 9.

Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus. Hebr. 6. 18. 19.

Ex Patribus, & alijs.

Futurorum spes laborantibus requiem parit: sicut & in agone positus dolorem vulnerum mitigat spes coronæ. Origenes hom. 6. in Exod.

Nullus ijs dolor est de incurfatione malorum

præsentium, quib⁹ fiducia est futurorum bonorum. S. Cyprianus l. ad Demetrianum.

Si quis vult adversa superare; si est persecutio, si est periculum; si mors, si ægrotudo gravis; si incurfus latronum, si facultatum proscriptio; si quidquid eorum, quæ putantur in isto adversa sæculo facile superantur; si sit spes, quæ confoletur: nam etsi illa acciderint, tamen gravia esse non possunt dicenti: *non sunt condigna &c.* S. Ambrosius in Ps. 118. oct. 7.

Esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad injurias ferendas; si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Id. ib. Octon. 15.

Si vis sustinere laborem, attende mercedem: nam & operarius in vinea deficeret; nisi attenderet, quid accepturus esset. Cum autem attenderis, quid sis accepturus; omnia tibi erunt vilia, quæ pateris: nec digna æstimabis, pro quibus aliud accipias. Miraberis, tantum dari pro tanto labore: nam utique fratres pro æterna requie labor æternus subeundus erat; æternam felicitatem accepturus æternas passiones sustinere deberes. S. Augustinus in conc. 2. de secunda parte, Ps. 36.

Nudum Christum nudus sequere: durum, grande, difficile; sed magna sunt præmia. S. Hieron. ep. 4.

Qui futura spectat, cœlestia sperans, & mentis oculos illò dirigens, non sentit quidem malorum præsentium molestiam. S. Chrysostomus tom. 6. de verb. Ap.

Radix totius bonæ operationis est spes resurrectionis: expectatio enim retributionis excitat mentem in beneficentiam: promptiorque fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum præviderit. Miles expectans præmia alacris est in bellum. S. Cyrillus. Jerof. Catech. 18.

Omnia opera, quæ in hoc Mundo videntur, sub spe aliqua fiunt; ad fruendum laboribus suis. S. Macarius hom. 14.

Tribus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt; id est, in spe, in fide, & in charitate. - Tolle spem, torpet humanitas tota: tolle spem, artes, virtutesque, universæ cessabunt: tolle spem, & interrupta sunt omnia. S. Zeno Ver. l. de fide, spe, & charit.

Ipsa (spes) est baculus necessarius pergrinantibus in via præsentis vitæ. Non enim faugantur, vel debilitantur, sperantes in Domino: quin potius assument pennas ut aquila; current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. In præsentis tempore spes est quædam vigilia solennitatis æternæ. S. Laur. Just. de spe c. 2.

Spes arbor benedicta est, fructus uberes habens; cum à misericordia Dei abundanter irrigetur. S. Thom. Aqu. opusc. 38. de erud. princip. l. 2. c. 5.

Qui vehementer aliquid sperat, libenter sustinet propter illud etiam difficilia, & amara. Id. in ep. ad Rom. c. 5. lect. 1.

Etsi amara pro Christi inferantur amore; indulcescunt tamen spe futura lætitiæ sempiternæ. Aponius l. 3. in Cant. 1.

Nihil est, quod fidelem, amantemque animam magis exhilaret; quam quòd speret, se, postquam hujus vitæ stadium emensa fuerit, perventuram ad beatum illum sinum æternæ pacis. Bloisius parad. an. c. 33.

Omnia tibi fortuna abstulit; sed spem reliquit. Seneca l. 5. declam. 1.

§. XVII.

Patientia per dura ad regnum,

Figura, & Symbola.

Nunc scio, quia certissime regnaturus sis &c. 1. Reg. 24. 21. Eleganter ostendit imaginem regni Christi in rege David: qui non solum sceptriger in folio sedit, purpurâ insignis, & diademate clarus, vel coronâ aurâ splendidus; sed prius egens, & vagus, profugusque, erravit; & exul omnibus quoque modis prius amaritudines totius infelicitatis, quam nectareos, aut mellitos regum populi liquores epotavit. S. Rupertus in 1. Reg. 27. Cum ergo David Deus elegeret, & prædestinasset ad regnum; noluit & ipsum David antè regnum tenere, quam primò à persecutibus liberaret: ut etiam in hac vita figuraret nos, id est, corpus ejus, cujus corporis caput Christus. Porro enim si ipsum caput nostrum sinè primò peractò labore in terra, in cœlo regnare noluit; neque levare sursum corpus, quòd deorsum accepit, nisi per tribulationis viam: quid audent membra sperare, capite suo magis se posse esse felicia. Sylveira in Matth. 1. q. 26.

Fecit rex Salomon thronum - & duo leones stabant, & duodecim leunculi. 3. Reg. 10. 18. 19. 20. Ad regium thronum non ascenditur, nisi multò certamine cum leonibus, arduis &c. Sylveira in Matth. 20. 22.

Mardocheus - indutus sacco &c. Esth. 4. 1. Cernes Mardocheum sacco indutum, inspersum cinere caput, & in platea mediæ civitatis, magnâ voce, animò mœlissimò, ejulantem: sed saccum Deus mutavit in purpuram, cinerem in coronam regiam, ejulatum in gaudium maximum. Ps. 29. 12. *convertisti planctum meum &c.* Barradius D. 3. Pasch. t. 4. l. 5. c. 11.

Fecit ascensum purpureum. Cant. 3. 10. Meritò patientia comparatur purpuræ, quæ reges induuntur: quia patientia opus perfectum habet, animum præbet regium, sui que ipsius, & omnium, dominum facit. de Ponte hic Exh. 29. §. 4.

Testimonia Biblica.

Vult, & non vult, piger. Prov. 13. 4. S. Hieron. hic: rectè pigri nomine denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non vult pati pro eo. apud Sylveira c. 8. in Luc. 22.

Dic, ut sedeant hi duo filij mei &c. Matth. 20. 21. *Potestis bibere calicem?* ac si dicat: est thronus laborum fructus, non itè rogationis munus. Passio via est: pietatis causâ suscepti labores: ij regnum parant. Si dignitatem amas, Passionis te socium exhibe. Videare unâ cruci-

crucifixus; inque regni concessu spectaberis. S. Basil. Seleuc. or. in illud: dic, ut sedent &c.

Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum. Luc. 12. 32. Quid regno cum grege? num oves aptæ sceptris? Cur non Apostolos, cur non Discipulos, non duces Christiani exercitûs vocavit, inauguraturus eos ad regnum? Nimirum non bellando, sed patiendo, regnum cœlorum invaditur: nec milites, sed *oves occisionis*? Pf. 43. 22. tantum occupant regnum. *Agnus enim occisus ab Origine Mundi.* Apoc. 13. 8. *dignus est accipere regnum.* Oliva l. 13. Strom. hic.

Per multas tribulationes &c. Act. 14. 21. Qui vult inungi in regem regni cœlorum, oportet eum multas tribulationes pati, antequam perfectè inungatur. Hugo Card. in Pf. 26.

Particeps in tribulatione, & regnò, & patientiâ. Apoc. 1. 9. Albertus M. nota, quòd ponitur regnum inter tribulationem, & patientiam: ad denotandum, quòd, nisi tribulatio exercuerit, & patientia defenderit; non poterit regnum possideri. apud Sylveira hic.

Ex Patribus.

Tempora patiendi non potest prævenire felicitas regnandi. S. Leo de transig. Dom.

Nisi tentatio, nec corona; nisi certamina, nec præmia &c. S. Chrysof. hom. 4. ad pop. Antioch.

Permittet autem hæc Deus temporibus persecutionum: non quòd tunc Deus prohibere non possit; sed quòd per patientiam, ut consuevit, coronare vult suos athletas. Sicut & Prophetas, & Apostolos, ut breviter laborantes æternum hæreditent regnum cœlorum. S. Cyrill. Jerof. Carech. 15.

Hæc est via vitæ, tribulatio præfens; via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni; secundum quod clamor latro de cruce: *memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum.* Perveniet & ipse in regnum. Sed vis nosse, quàm compendiosâ viâ? eadè die meruit cum Domino esse in paradiso. S. Bernardus (1. in ram. Palm.) q. d. patientia in doloribus, brevissima in cœlum via est. Pinna in Eccl. Ethol. 6.

§. XVIII.

Post patientiæ laborem quies.

Figura, & Symbola

Requievit Deus die septimò. Gen. 2. 2. Non requievit tanquam fatigatus; sed ut doceat, ante quietem præcedere operationem. Sylveira c. 37. in Luc. 18.

Vidit requiem, quòd esset bona. Gen. 49. 15. Anselmus: vidit requiem æternæ vitæ, quòd esset bona; & terram viventium, quòd optima: & *supposuit humerum suum ad portandum.* Quia, qui promissam requiem invenire desiderat, onera libenter portat. apud Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 2. sect. 2. obl. 1.

Polyantha Sacra. Tom. II.

Ascensum purpureum. Cant. 3. 10. Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur; ita ut si necesse fuerit, etiam sanguis effundi permittatur: ideo *ascensus* rectè *purpureus* esse dicitur. S. Gregor. hic. *Reclinatorium aurum*, æternæ felicitatis fulgor; in qua reclinator, & ab omni labore quiescitur. Ascensus purpureus est: quia ad claritatem illius quietis non nisi per tribulationem venit. Corn. hic. Per reclinatoriū aureum requies æterna accipitur, quæ Sanctis in Ecclesia promittitur: ad quam tamen ascensus est purpureus, id est, Passio Christi; quia purpureum colorem sanguinis imitatur. S. Thom. Aqu. hic.

Adjuro vos-nè suscitets &c. Cant. 8. 4. Multo labore, instantiâ, & oratione, sponsa dilectum invenit, & tandem in cubiculum introduxit. Unde dignum est, ut post fatigationem tandem requiescat; & dilectò, tot sudoribus, & discursionibus apprehensò fruatur; nec facile ab ejus amore avellatur. Rich. à S. Viçt. hic.

Liber generationis Jesu Christi, filij David, filij Abraham. Matth. 1. 1. Cur ponitur prius David, quàm Abraham? Palatius: Scriptura docet; finem Abraham esse locum refrigerij. Imò Matth. 8. 11. dicitur: *multi venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cœlorum.* Cùm ergo Abraham designet quietem; innuit Dominus, necesse esse, ut filius sis Abraham, id est, quietis; prius fuisse filium David pugnaroris, angustijs, & laboribus, pressi. Sylveira hic.

Diaconibus supra sinistram humerum stola imponitur: quia quidquid laboris in hac vita sufferimus, tanquam in sinistra portamus: donec à sinistra transeamus in dexteram, in qua requiem habeamus. Innocentius III. P. de Sacro Altar. mysterio lib. 1. c. 5.

Testimonia Biblica.

Ex Veteri, & Novo.

Illic sederunt sedes. Pf. 121. 5. Nunc est tempus laborandi, postmodum erit tempus quiescendi. Michæ 2. 10. *Surgite, & ue: quia non habebitis hic requiem.* Matth. 26. 41. 45. *Vigilate, & orate.* & postea: *dormite jam, & requiescite.* Hugo Card. hic.

Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem. Eccl. 51. 35.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno. Apoc. 3. 21. Huic tepido æterna gloria promittitur nomine sessionis: quia tepidus fugit laborem, & cursum. Hinc si eum amplectatur, promittit ei requiem æternam, & sessionem regalem in cœlis. Cornelius hic.

Ex Patribus.

Venale est, quod habeo, dicit Dominus; tibi eme illud. Quid habet venale? requiem. Quantum valet? pretium ejus labor est. Quan-

tus labor? aeterna requies aeternò labore emenda erat. S. August. in Pf. 93.

Si vis sustinere laborem, attende mercedem: nam & operarius in vinea deficeret, nisi attenderet, quid accepturus esset. Miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam utique fratres, pro aeterna requie labor aeternus subeundus erat: aeternam felicitatem accepturus aeternas passiones sustinere deberes. Idem in Pf. 22. conc. 2. 2. partis.

Quasi sexta feria est tota haec vita; in qua nunc tanquam morientes vivimus; & in qua crucem quotidie post Jesum portare jubemur. Sabbathum autem, quod requies interpretatur, illud significat spatium, quod est à die, quâ morimur, usque ad resurrectionis diem. Dies verò Dominicus illa post iudicium aeternitas erit, quæ lucis, & gloriæ, terminum non habebit. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 33.

Laboriosa est reformationis tuæ sexta; sed dulcia Sabbathata quietis sequuntur. Gilbertus l. 11. in Cant.

Cum meditatio aeternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solum ab æstu tentationum refrigerat; sed etiam ad laborem animos innovat. Guarricus l. 3. in afs. B. V.

§. XIX.

Post tristitia leta,

Ex Veteri.

Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores antea tradamus ad nuptias. Gen. 29. 26. Pulchra erat Rachel, & Jacobo dilectissima: Lia lippa; per quam Doctores vitam presentem lacrymosam; per Rachelem beatam, significant. Robertus Holcot lect. 131. in Sap. 10. celestis patriæ juniorem illam Rachelem, id est, beatitudinem, pulchram, & decoram dare ante laborem presentis vitæ mos non est, & ideo oportet accipere prius Liam lip-pam, ut postea habeamus Rachelem decoram. Sylveira in Joan. 16.

Exploratores estis &c. Gen. 42. 9. Inter cæteras causas, ob quas Joseph fratres durius tractavit, dat etiam hanc: ut ex longa suspensione suæ revelationis, sub hujusmodi duritie fortius occultata, ipsa revelatio pleniori gaudio cumularetur. S. Thom. Aqu. hic.

Et sub pedibus ejus quasi opus lapidis Saphirini; & quasi cælum, cum serenum est. Ex. 24. 10. seu, ut vertunt Sept. lateris Saphirini. Ut significaret, lateres luteos, quos in Ægypto fecerant, versos esse in Saphiros; & terrenos labores in præmia celestia mutatos de Ponte in Cant. 1. 1. Exh. 16. §. 2.

Parasti in conspectu meo mensam &c. Pf. 22. 5. Sensus est: Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes: & sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines; sic ingeri à Deo suavitates, Bellarminus hic.

Ad vespertum demorabitur fletus, & ad matutinum letitia. Pf. 29. 6. Mos est sacri eloquij: si quando tristitia, lataque commemorat, tristitia lætis in ordine præponere: quoniam læta post malorum experientiam, sive

memoriam, magis degustantur. Ego interficiam, & ego vivere faciam. Dolenda semper anteponit, ut gratiæ nobis chariores existant, magisque sapiant. Ad vespertum demoratus est fletus Discipulis Domini; quando in cruce pendentem conspexerunt: & ad matutinum letitia; quando post resurrectionem cum gaudio cucurrerunt. Vel vespere faculum hoc dicitur; in quo qui sanctè plorant, adveniente postea matutino consolabuntur. S. Basilius hic.

Jam hyems transiit. Cant. 2. 11. quia temporalis tribulatio finem accepit. S. Justus Orgelii. hic. Hyems est tempus vitæ mortalis; quod aeternæ comparatum rectè hyems imbrifera, & procellosa, nuncupatur, ob ingentes ærumnarum imbres, quibus tam reprobi, quàm electi, opprimuntur. Sicut autem, cum hyeme vigent imbres, nives, & venti; ver solet esse magis floridum, & tranquillum: si verò hyems placida sit, in vere imber, nix, ac frigus, solet irruere, qui floribus, ac fructibus, nocent; sic nobiscum prosperè agitur, cum in hujus vitæ hyeme varijs tribulationibus premimur; post quas in vere futuræ gloriæ magna nobis felicitas reservatur. Si autem in hac vita cuncta prosperè eveniunt; timendum, nè in futuro nos aeterna hyems comprehendat. de Ponte hic Exh. 17. §. 3.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Cant. 4. 6. S. Greg. Nyss. hom. 6. in Cant. per hoc ostenditur, quod, qui cum Christo fuerit myrrhæ particeps, omnino erit etiam particeps thuris: nam qui fuerit cum eo passus, simul etiam conglorificabitur. Thus Distatis Symbolum. Did. Niss. Pol. cæl. p. 1. l. 2. c. 3.

Ecce constitui te hodie super gentes, - ut evellas, & destruas - & aedifices, & plantes. Jer. 1. 10. Mœsta, & super quæ charitas ejus dolebat; ut Dei hostes, eos interimendo, ut communiter exponitur, evelleret, destrueret, & perderet. Mox tamen subjiciuntur grata; ut aedifices, & plantes novam prolem, novumque populum, qui Deo totò corde serviat. Origenes hic hom. 1. à tristibus semper, & necessarijs, inchoat Deus: veluti Dominus mortificat, & vivificat. 1. Reg. 2. 6. ipse dolorem facit, & iterum restituit lætiam. Sylveira in Joan. 16.

Ex Novo.

Et ecce Angeli accesserunt. Matth. 4. 11. Ecce tibi post nubilum serena jam apparet dies; & post famem, tentationes, affluit delicijs. Baezat. 1. l. 3. c. 2. §. 27.

Non sine mysteriò Christus D. Evangelicam prædicationem aggressurus primùm ductus est in desertum. Matth. 4. 1. dein abiit per sata. Matth. 12. 1. tandem introiit in hortum. Joan. 18. 1. ut significaret: eos, qui Evangelicam perfectionem aggrediuntur, à desertis, & incultis locis ad uberes, & amœnos agros sensim pervenire: hoc est, ea, quæ initio difficilia, & aspera judicabant, amore au-gescente, tanquam facillima subire. S. Am-bros.

brof. l. 4. in Luc. videte, quibus itineribus ad paradifum reducamur. Mendoza in 1. Reg. 14. 13. fecl. 2.

Abijt trans mare. Joan. 6. 1. Postquam Mundi fluctus tranaverimus, conviviò excipiemur in cælo. Barradius D. 4. Quadr. t. 2. l. 10. c. 2.

Quo vadis? Joan. 16. 5. Discipuli de nece Domini graviter moerent; quia non interrogant, *quo vadis?* si enim eis quærentibus Christus responderet: vado per crucem ad Patrem, vado ad gloriæ interminabilis thronum; procul dubiò Christi Passionem lati profequentur. Inde oritur immedicabilis cordis moeror, quòd laborum terminum non aspiciamus, quò vadat angustia? Escobar t. 5. Proph. Chr. l. 7. fecl. 1. obf. 1.

Tristitia vestra vertetur in gaudium.

Joan. 16. 20. hoc est, aqua vestra vertetur in vinum. S. Bernardus f. 18. de div. affect. an.

Medicum, & jam non videbitis me.

Joan. 16. 16. q. d. tempus Passionis meæ, & mortis, breve est; unicò triduo concludetur; & mox resurgam. Recipite ergo brevitate doloris, & gaudij longitudine consolationem. Sylveira hic. Prius dicuntur tristitia de absentia, ut postea jucundior veniat presentia. Id. ib. Alcuinus: cunctis Fidelibus convenit hic sermo Domini; qui per lacrymas, pressurasque presentes, ad gaudia æterna contendunt. apud eundem ib. q. 9.

Mulier, cum parit, tristitiam habet &c.

Joan. 16. 21. Appositè Christus D. Passionis, ac mortis suæ, tempus comparat parturitioni; resurrectionem verò gaudio post partum: Christus enim in Passione cruciatus fuit doloribus, & angoribus, inftar mulieris parturientis; at peractò partu, cum se meritò mortis suæ resurgentem vidit, nosque similiter resurrecturos cognovit; mirè gavifus est; & magnò gaudiò Apostolos, & omnes Fideles, perfudit. Cornelius hic.

Trans torrentem Cedron. Joan. 18. 1. Volens ire in hortum, per quem paradifus intelligitur, transit per torrentem; id est, per tribulationem, & crucem. Dicitur *torrentis*: quia cum impetu, & citò, transit. Hugo Card. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Tota hæc vita feria sexta est: quia videlicet crucem post Dominum baiulare jubemur. Si præposterò ordine nunc sub carnis lege viventes quasi Dominicam diem ducimus; procul dubiò postmodum non gaudium gaudiò, sed tribulatione mutamus. B. Petr. Dam. f. 48.

Consolatio temporalis via est ad cruciatum æternum; & è converso cruciatus temporalis via est ad consolationem æternam. Hugo Card. in Gen. 25.

Divinà providentiâ præeunt sæpe tristitia, ut gaudiosa sequantur. Sim. Cals. de gest. Salvat. l. 1. c. 7.

Nulla gaudij materia potior, quàm de magna periclitatione salvatio. Id. ib.

§. XX.

Post amara dulcia.

ET azymos panes cum lactuctus agreffibus.

Ex. 12. 8. Quòd dicit azyma cum amaritudine manducandum, docuit, neminem posse

finè tristitiæ carnis synceram vitam ducere. Amaritudo videtur jejuniùm, & omnis abstinentia carnalium deliciarum; sed Pascha Domini non aliter celebratur; sed synceritatis azyma aliter non editur. Cum verò exieris de Ægypto hujus Mundi actu, vel corpore; manna pabulum manducabis, panem cœli accipies: & in illam terram Sanctorum repromissionis inductus, amœnitatem simul paradisi, & æternâ suavitate ipsius Domini, perfrueris. Dulcis amaritudo est, quam sequitur tantæ retributio suavitatis. S. Gaudentius tr. 7. in Ex.

Venerunt ad Mara. Ex. 15. 23. post v. 27. *venerunt in Elim.* Prius ad *Mara*, ut teneas dulces fontes cum triumphali palma, prius per amara eundem. Sylveira in Apoc. 7. 9. *Mara* interpretatur *amaritudo*. Profeci de *Mara* venerunt in *Elim*, ubi duo decim erant fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Vides, post tentationes amaritudinem, ad quantam deveniunt, & dulcium pomorum, & aquarum profluentium, amœnitatem? Per tentationis itaque pugnam perducuntur ad palmas; & per sitis intolerandæ penuriam ad irriguam veniunt aquarum viventium affluentiam. B. Petr. Dam. l. 2. ep. 7.

De comedente exivit cibus &c. Judic. 14. 14. S. Ambros. l. de Elia, & jejun. c. 11. legens cum nonnullis codicibus Græcis: *de tristite exivit dulce*, subdit: sed & forte laboriosum est: exit enim dulcedo de tristitia, vel labore. Idem de Tobia c. 15. *de manducante exivit esca*, & *de forti exivit dulcedo*. Græcus & *de tristi* habet. Sic invenimus. Tamen de forti hoc intelligitur: quia leo fortis est ferocitate; & qui ferus, tristis. &c. Cornelius hic.

Fasciculus myrrhe. Cant. 1. 12. post: *botrus Cypri*: v. 13. quia dolorem mortis secutum est gaudium resurrectionis; ideo sponsa congruè post recordationem mortis subdit de resurrectione dicens: *botrus* &c. q. d. factus est mihi causa lætitiæ in resurrectione, qui fuerat causa tristitiæ in Passione. Hugo Card. hic.

Veni in hortum meum &c. Cant. 5. 1. Descendendo in uterum tuum, & assumendo carnem; ut verus homo nasceret, qui verus Deus eram; *veni in hortum meum*. Moriendo, atque in Infernum descendendo, *messui myrrham cum aromatibus meis*. Resurgendo *comedi favum cum melle meo*. Ascendendo in cœlum *bibi vinum cum lacte meo*. S. Rupertus hic.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1. 17. id est, minantem, & agitantem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. Sept. vertunt: *ego video baculum nucum*. Theodoretus: *ego video virgam amygdalman*, quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos fructus emittat. Advertit Theodoretus: sicut nux, vel amygdalum, amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ita castigatio primò molesta est, sed deinde fructum dat, suavitatem morum. Cornelius hic.

Obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Luc. 24. 42. Glossa: qui hic affantur tribulationibus pro Deo, verà postea dulcedine saturabuntur. Hugo Card. Piscis affus

fus fuit Christus in Passione, affatus in ara crucis igne tormentorum, & dolorum: favus mellis est Christus in resurrectione: totus enim suavis, & dulcis apparet. Sylveira hic q. 11. Favos post fella gustavit: nec ante Rex gloriae à coelestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in cruce. Tertull. l. de corona milit. de Christo.

Mel dulcius sapit, cum primò gustatur aliquid amarum: sic & prospera dulciora sunt, probatis adversis. Nonne saepe post fortissimas febres, acutosque dolores, jucundior fanitas aestimatur; tantoque gratiosior, quanto præcessit infirmitas gravior. S. Bernardinus t. 1. l. 8. art. 3.

§. XXI.

Post tenebras lux.

Tenebrae erant super faciem abyssi. Gen. 1. 2. *Et facta est lux.* ib. 3. Cur prius tenebrae, abyssi, deformitas in Mundo, extiterunt, deinde lux; & cum luce, omnis emicuit pulchritudo? Ità molestia, præcedere, gaudia subsequi, solent. S. August. l. 8. conf. c. 3. quanto majus periculum fuit in prælio, tantò majus est gaudium in triumpho. Jactat tempestas navigantes; omnes futurà morte pallefcunt: tranquillatur mare, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Edendi, & bibendi, voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi, molestia &c. Fernandus in Gen. 1. 3. sect. 3.

Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua. Ex. 34. 29. Hebr. quòd *radians* esset. Cur ità resplendet? quia prius in nebula Ex. 24. 18. De caligine pro Deo accepta ad tantam claritatem evehitur. S. Greg. Nyss. hom. 12. in Cant. Moyses nubem subit, caliginem intrat, in qua Deus erat: fœdus accepit; sit fulgens, dum è vultu lumen emittit. Sylveira in Apoc. 1. q. 70.

Venit manè, & nox. Il. 21. 12. Unum promittitur ad consolationem, alterum prædicatur ad eruditionem; utrumque ad utilitatem. Si in nocte es; noli desperare, quia veniet manè; si in die es; noli confidere, quia veniet nox. Manè ergo promittitur, nè laborantes deficient; nox futura prædicatur, ut cauti fiant. Richardus à S. Vièl. l. de verbo Incarn. c. 7.

Cuncta, quæ pertulit adversà David, Deus in prospera convertit; cunctamque miseriam noctem mox succedentis gloriae dies effugavit. S. Rupertus l. 2. c. 10. in lib. Reg.

Nox ista patientia est, & à sæculo in sæculo fieri tenebrosum, ut velit sæculo displicere, ut possit Christo bene placere, & velit noceri à sæculo, ut juvetur à Christo. Hæc enim *nox sicut dies illuminabitur.* Pf. 138. 12. quia *sicut tenebra ejus, ità & lumen ejus.* Hæc nox vertitur in diem, & post ejus tenebras. Job. 17. 12. lux in spe firma confurgit. Hæc nox matutinum habet lætitiæ. Sim. Cas. l. 6. de parab. Salv. c. 1.

§. XXII.

Patientia sit sine querelâ, murmure.

Quid murmuravit homo. Thr. 3. 39. Non habet, quod testa contra figulum respondeat, vel quid dicat: cur me fecisti sic? vel quare ità facis? Quòd bene intelligens Job, licet multis ex cruciatus supplicij, in omnibus jure bene laudatur, quòd *non peccavit labijs suis.* Job. 1. 22. S. Paschal. hic in Thr.

Volo huic novissimo dare, sicut & tibi. Matth. 20. 14. Deus nobiscum nullò pacto constringitur; nullum chirographum donationis ex debito producere possumus cum ipso in judicio. Unde damnata judicia: quare illi, & non mihi? quare in afficientibus sensum mihi, & non illi? quare plus mihi, quàm illi? quare, quòd illi, non mihi? quare mihi, quòd non illi? Et hujusmodi querelis humana non cessat præsumptio Deum læcescere. Nonne terrenus rex potest unum malefactorem de lege justa exitio tradere, aliumque in malefacto confimilem de misericordia liberare? Quæ ergo injuria facta est, qui est de justitia interemptus, si alter de misericordia sit liberatus? Sim. Cas. l. 6. c. 21.

Verus patiens injuriam nulli conqueritur: quia ex querela, & excusatione, quantumcumque mens alleviatur; quam alleviationem minime curat, sed solus cum Deo molestiam suam portat: donec pius, & fidelis Deus per internam consolationem repellat. S. Albertus M. Parad. an. c. 4.

Si me rectè inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura: unde nec justè habeo conqueri adversum te. Thom. Kemp. de imit. Chr. l. 3. c. 40. & 41.

Non murmur resonat, non querimonia; sed corde impavidò mens bene conscia conservat patientiam, Ecclesia de Martyribus.

§. XXIII.

Patientia laudat Deum.

Dominus dedit, Dominus abstulit. *Sit nomen Domini benedictum!* Job. 1. 21. Nunquam tam canori cygni, quàm in funere. Jis quàm dissimiles psittaci: quos post epulas audias festivè garrientes, etiam humanis vocibus. Haud in Dei laudibus exultasset Job, nisi eum Sathan contrivisset. Jonas stertebat in navi; in ceto cecinit. Balthasarem imitatur, qui Deum suum inter calices celebrat. Dan. 5. 4. Oliva l. 5. Strom. §. Dominus dedit. &c.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Pf. 22. 4. S. Laur. Just. hic. ipsa me non afflixerunt; sed potius consolata sunt: quia in his intelligo, te esse memorem mei. apud Novarinum in Elect. sac. l. 3. hic.

Narrabo opera Domini. Pf. 117. 17. S. Chrysof. hic. quam opera; dic quæso: *castigans castigavit me Dominus.* v. 18.

Justi

Iusti confitebantur nomini tuo. Pl. 139. 14. Designatur, hoc debere fieri inter quaslibet corporis graves, amarasque pressuras. Tunc enim magna virtus est laudare Dominum, quando seipsum sæculi blandimenta subducunt. Bonus enim fuit Job, cum Dominum dives colebat: sed quanto melior, dum eum sub multiplici afflictione laudabat. Cassiodorus hic.

Percusserunt me, & vulneraverunt me. Cant. 5. 7. Exarsit inde in amore Dilecti validius: *ut nuntietis ei, quia amore langueo.* v. 8. Addit laudes dilecti, licet eam pulsari, & vulnerari passus: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Velloso in Judith. 7. Paræn. 24.

Acceptit Jesus panem, & benedixit ac fregit &c. Matth. 26. 26. Divisâ in Apostolos Eucharistiâ, observatur Christo ob oculos tota crucis injuria; quam libenter sustinens *gratias egit*: ut ostendat se in gratijs fractionem sui corporis, id est, occisionem suscipere, ait Theophylactus. Id ib.

In eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum interest; non qualia, sed qualis quisque patitur. S. August. de Civ. 1. 1. c. 8.

§. XXIV.

Patientia motivum Resurrectio.

Venientes venient cum exultatione. Pl. 125. 6. Venientes utique in Resurrectione venient ad iudicium cum exultatione *portantes manipulos myrtæ suæ.* S. Bonavent. in Pl. 118.

Cæterum nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi: rependamus illi, quam pro nobis ipse defendit. Offeramus patientiam Spiritus, patientiam carnis; qui resurrectionem carnis, & Spiritus, credimus. Tertulian. lib. de patientia.

§. XXV.

Patientia varia motiva alia.

Dabit percutienti se maxillam. Thr. 3. 30. Patientia humilitatis indicium est. S. Paschas. hic.

Mitte gladium tuum in locum suum. Matth. 26. 52. S. Leo l. 6. de Pass. superfluum erat, ut, qui volebat praesidiò Angelicarum virtutum juvari, vellet se unius Discipuli oppositione defendi. Fugiamus & nos, qui magnalia Mundi abnegavimus, de parvis consolationem querere; qui plenas mensas abjecimus, ad micæ inhære. Bæza t. 1. l. 1. c. 11. §. 12.

Si sol super iracundiam nostram occiderit. (Eph. 4. 26.) periclitamur. Non licet nobis unâ die sine patientiâ manere. Tertull. 1. de pat.

Abstia servo Dei tale inquinamentum; ut patientiâ majoribus tentationibus preparata in frivolis excidat. Id. ib.

Duplex patientiam manet victoria: hominem vicisse, proprios animorum motus; & temperasse mores alienos. S. Valerianus hom. 12.

Quemadmodum incus aliqua, licet quidem semper verberetur; non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem, semper manet, sibi que similis: sic & qui verum se vult gerere Christianum; inter diversas tribulationes, atque tentationes; sive extrinsecus ab hominibus illatas injurias, contumelias, persecutiones, damna, aut alia ejusmodi; sive intrinsecus à spiritibus malignis inductas angustias diversissimas; unus, & idem, maneat oportet, fortiter quæcunque obvenientia perferens. S. Ephrem de fide.

Mihi crede: non habet concupiscentia locum, ubi patientia dominatur; ubi vivitur sobriè; ubi mors timetur. S. Zeno Ver. f. de Continentia.

Tota vita iusti in duobus est: pati malum, & facere bonum, id est, labor, & dolor. Hugo Card. in Gen. 26.

§. XXVI.

Patientia in injurijs.

Nostri est aqua vocavit Calumniam. Gen. 26. 20. Locum injuriæ vocat Calumniam; & v. 21. *inimicitias.* S. Chrysost. hom. 52. in Gen. non oblectatus est; sed in sola fontium appellatione reliquit alienæ malitiæ memoriam indelebilem. Velloso in Judith. 2. Paræn. adv. 5.

Annis, quibus vidimus mala. Pl. 89. 15. En quomodo generosa animæ inflicta à Deo ærumnas extenuant quòvis aliò corporis sensu mala si dicerent se expertos, gravius se faterentur oppressos. At, cum dicunt, nulla se solùm vidisse, vix se testantur afflictos. Cor enim inter ærumnas premitur, auris strepitu quatitur, affligitur memoria recordatione malorum; odoratus oneratur graveolentiâ: solus oculus solem æmulatus, ærumnas videt, nec sentit; vulnera incruentus spectat, lætus mœsta intuetur, fractionem integer aspicit, fordidus adest immaculatus. Oliva l. 12. Strom. §. annis, quibus vidimus &c.

Non: ne forte colligentes Zizania &c. Matth. 13. 29. V. Beda: hic nobis patientiæ exemplum præbetur: ut, sicut patet familias in dolo inimici patiens fuit, sic in aliqua nos læsione, non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam, recurramus. apud Sylveira in Matth. 13.

Quantas Moyses à populo illatas absorbebat injurias! quam miti sermone post injurias appellabat populum! consolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fovebat operibus: merito æstimatus est supra homines. S. Ambros. l. 2. offic. c. 7.

§. XXVII.

Preparatio ad adversa.

Nuntius venit ad Job. 1. 14. &c. Unâ adversitate nuntiata statim altera nuntiatur: nè, si ali-

si aliquod intervallum fieret, intus ad cor suum rediret, & se ad patientiam præpararet; & sic sequentia facilius sustineret. S. Thom. Aq. lect. 3. hic. Nuntius, qui tam multas clades Jobo nuntiavit, fuit ipse diabolus, ut vult S. Chrysostomus; vel saltem diaboli fraude submissus, ut Origenes &c. voluit Jobi aures velo minimè præviso vulnerare: ut repentino dolore consternatus facilius ad impatientiam, & blasphemias contra Deum, adigeretur. Mendoza in 1. Reg. 4. 12. Annot. 12. lect. 1.

Timor, quem timebam, evenit mihi; & quod verebar, accidit. Job. 3. 25. Inde tantus victor omnium calamitatum: quia jam se ad ea pararat. Sylveira in Apoc. 4. Semper cogitatione spectabat ad illum timorem, operiens eum, & parans, speransque. S. Chrysost. hom. de avaritia.

Procul (equus) odoratur bellum. Job. 39. 25. Sic justus, & sapiens, procul odoratur tentationem; seque præparat ad pugnam. Barradius D. 6. Pasch. tom. 4. l. 5. c. 1.

Paratus sum, & non sum turbatus. Pf. 118. 60. Magna ad patientiam fundamenta preparatio jaciit. Quidquid enim ex insperato erumpit, vehementiori semper turbatione animi afficit. S. Cyrill. Alex. l. 9. c. 22. in Joan. Malum enim, quod prius considerat, atque expectat, tolerabilius efficitur. Euthymius apud Sylveira in If. 2. Disc. 7. Bis dicit: *paratum*: quia homo ad ea, quæ occurrere possunt, promptus, cum sit unus, valet quod duo. Incognitus apud Did. Nyss. D. infra octav. Asc.

Præpara animam tuam ad tentationem. Eccl. 2. 1.

Ex Novo.

Ecce ascendimus Jerusalem. Matth. 20. 18. Theophylactus: prædicit Dominus Discipulis eventura; ut mentes eorum præparet: quod prius audita facilius ferant, & non repente percellantur animo. apud Sylveira in Matth. 20.

Audituri estis prælia, & opiniones Prætorum; videte, ne turbemini. Matth. 24. 6. Origen. hom. 28. in Matth. *videte*, non dixit, audite: hortans eos, sollicitos esse, ut oculis animæ possint videre, postquam audierint prælia, singulorum naturam prævidentes, ne terreantur.

Vado parare vobis locum. Joan. 14. 2. & iterum v. 12. *ego ad Patrem vado.* & c. 16. 5. *vado ad eum, qui me misit.* & v. 7. *expedit vobis, ut ego vadam.* S. Chrysost. hom. 78. eorum animum experitur, & probatiorem reddit: ut & in calamitatibus æquò animò discessum suum & generosè perferant; assuefacit. Minus enim jacula prævisa feriunt. Sylveira in Joan. 16. q. 4.

Mementote sermonis mei. Joan. 15. 20. Prædixit Christus omnia, quæ ventura erant super Discipulos suos: ne, cum venissent, reperirentur Discipuli non parati, & eorum animi frangerentur in subitatione malorum. Et suadet, eos esse memores; quia prædixit, quòd sic passuri erant, ne immemoria prædictorum

eos per impatientiam conturbaret; magis autem eorum animos solidaret retenta memoria. Sim. Cals. l. 12. c. 11.

Hac locutus sum vobis &c. Joan. 16. 2. Cyrill. Alex. l. 10. in Joan. c. 34. Nam quòd non expectatum præter opinionem subito ingruit, magnos etiam plerumque animos turbat: quòd autem prævidimus, quamvis gravius inferatur, levius tamen propter præmeditationem videtur. apud Arcones in If. 2. Disc. 7. Glossa interlin. ego dixi ne ignaros hæc, & improvisa turbarent; sed prævisa patienter ferantur.

Jesus sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit. Joan. 18. 4.

Ex Patribus, & alijs.

Præmeditari debemus futura; nè, postquam venerint, obstupefaciant corda nostra miraculo. Nam præmeditatus in tali casu dicturus est: sciebam te venturum; non inexpectatus ades: tuum insultum jam antè prælagiebam. Ad eum modum si quis se præparavit, sustinebit sine ruinâ pericula. At ex improvise turbati, vociferari, interdum & lamentari, est mentis valde miseræ. S. Justinus M. ad Zenam, & Serenum.

Si id, quòd amarum est, antea cognoscas, indues patientiam. S. Ambros. lib. de parad. c. 12.

Nullus sit casus, quem meditatio tua non praveinat. S. Hieronymus lib. 2. soliloqu. c. 6.

Sic nos ad Deum expansos ungula fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detrucent, bestia insiliant: paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani. Tertull. Apolog. adv. Gentiles.

Disponentem se ad futura pericula propter Deum clades prævisa non lædit. Sim. Cals. l. 5. c. 1.

Præcogitati mali mollis ictus venit. Seneca ep. 76.

§. XXVIII.

Priori affinis.

Usquequò ebria eris &c. 1. Reg. 1. 14. Mater Samuelis in templo à Sacerdote sperata forti animò tulit contumeliam. Unde sexui fragili tam insignis victoria? S. Chrysost. domi Annam exprobrat amula: venit in templum, & Sacerdos contumeliâ afficit. Effugerat domesticam tempestatem; venit in portum, & rursus invenit undas. Verè in patientia exercitata, domi præparata ad perferenda maledicta; amulæque convitijs exercitata, & in templo multam præstitit humanitatem, viriliter, ac magnò animò, scommata ferens, Baeza t. 1. l. 3. c. 2. §. 2.

Non vales resistere. 1. Reg. 17. 33. Risit Saul puerum David intermem contra Goliath profilientem. Cui David unico argumentò, & suam fortitudinem, & obtinendæ victoriae certitudinem, persuadebat: *pasebat servus tuus &c.* v. 34. Etenim qui talibus victorijs in solitudine armatur, nescit in palæstra acies time-

re armatas. O quam securus in Mundi palæstram ibis hūcturus cum carne, & palam triumphatus de hostibus; si in solitudine prius cum vitijs conferuisti manus. Id. ib.

In utero supplantavit fratrem acum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit. Of. 12. 3.

Quotidie ceditis punctioni acus unius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quam viriliter in majori certamine stare possitis. S. Bernardus l. de S. Clemente P. M.

§. XXIX.

Miscellaneous.

Pellem pro pelle. Job. 2. 4. Intendit Sathan dicere: quod amissionem possessionum, & natorum, Job patienter toleraverit propter corporis sui salutem; & quod hoc non erat magnæ virtutis, sed erat humanum, & apud omnes homines consuetum. Et hoc est, quod dicitur: homo quicumque, etiam non virtuosus, dabit de facili pellem pro pelle, id est, carnem alienam pro carne sua: sustinet enim homo non virtuosus, ut quicumque alij, etiam quantumcumque conjuncti, potius corpore affligatur, quam ipse S. Thom. Aqu. hic lect. 1.

Calicem salutaris accipiam. Pf. 115. 13. Digna quidem promissio; sed, si in humanis viribus ponatur, periculosa præsumptio. Quis enim potest Confessoribus tormentorum patientiam dare, nisi ille, qui pro nobis dignatus est calicem Passionis accipere? Nam ut hoc impossibile humanæ virtuti absolute monstraret, secutus est: *& nomen Domini invocabo.* Cassiodorus hic,

Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. Cor. 6. 4. S. Chrysof. hom. 12. hic: non simpliciter patientiam dixit, sed *multam*: neque enim unum aliquod, aut alterum incommodum perferre, magnæ laudi ducendum est. apud Did. Nils. Pol. cœl. p. 2. l. 20. c. 3.

§. XXX.

Impatientia.

QUI in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime Pharisei Dominum agnoscere debuerunt; patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Tertull. l. de pat. c. 3.

Omne peccatum impatientia adscribendum. Malum impatientia est boni. Id. ib. c. 5.

Natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera, quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini, subjecisset, impatienter tulit. Id. ib. c. 5.

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur; sed ut mala graviora patiantur. S. August. l. de pat. c. 2.

Qui tribulanti se irascitur, quasi puer scabiosus est, qui matri lavanti caput irascitur, & convitiatur. Hugo Card. in Prov. 17. 13.

Impatientia est signum privati amoris, & elationis. Dion. Carth. in Luc. 21.

Impatiens homo semper est querulus, sicut currus, qui semper stridet; sive in bona, sive in mala via sit. Geminiani c. 37.

TITULUS X.

S. PAULUS.

§. I.

*Figura.**Ex Veteri, Novo, & alijs.*

Plantaverat Dominus Deus paradysum voluptatis. Gen. 2. 8. Nihil prorsus erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, & paradysum spiritualem, Pauli animum nuncupaverit. Unde & mirabiles nobis fluvios genuit: non secundum paradysi fontes quatuor tantum; sed multo etiam plures, & quotidie fluentes; nec terram rigantes, sed animas hominum, ad producendum virtutum germina fuscitantes. S. Chrysof. hom. 1. de laud. S. Pauli Ap.

Noe quidem Gen. 8. tantummodo legitur se servasse cum liberis; hic autem multo saviore Mundi inundante, diluviò, non arcam coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo: non duos, vel tres, aut quinque cognatos; sed universum prorsus orbem mer-

Polyanth. Sacra, Tom. II.

gi periclitantem, ex medijs fluctibus liberavit. Id. ib.

At illa venit portans rramum olivæ. Gen. 8. 11. Potest significari S. Paulus per hanc columbam: quia enim olivæ misericordiam significat, congruè per rramum olivæ accipitur nomen Jesu Christi, quod etiam misericordiam significat. S. Thom. Aqu. in ep. S. Pauli in prologo ad Rom.

Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis. Gen. 29. 20. Quænam est illa adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi; non adustus solum æstu diei, & noctis gelu; sed tentationes mille perpetuens. S. Chrysof. antè citatus.

Vidit Benjamin fratrem suum uterinum & erumpebant lacrymæ. Gen. 43. 29. 30. &c. Vidit Joseph Benjamin fratrem suum ex una matre, & lacrymatus est: vidit Jesus Paulum savientem in Ecclesiam matrem, & miseratus est. Act. 9. 4. Benjaminino minori fratri

T t

ampliora